FRANCISCI JUL. KOZDERA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA,

EXHIBENS:

BREVEM PESTIUM REGNI BOHEMIAE HISTORIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA,
EXHIBENS:
BREVEM PESTIUM REGNI BOHEMIAE HISTORIAM.

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM
PRO
SUPREMA DOCTORIS MEDICI LAUREA RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

FRANCISCUS JULIUS KOZDERA
BOHEMUS MELNICENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 23. Aprilis MDCCCXXV.

VINDOBONAE,
TYPIS ANTONII PICHLER.
1825.

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

PIA CUM VENERATIONE

IN TESSERAM OBSERVANTIAE PERENNIS

OFFERT

HUMILLIMUS

AUCTOR.

CELSISSIME PRINCEPS!

Quum sorte quadam prosperrima usus, quae vix sperare audebam mihi contigerint ita, ut nil amplius votis capessendum mihi relinquatur; quum *Te Principem Celsissimum* primitiarum mearum fautorem benignissimum palam profiteri mihi sit concessum, et ea inquam adeptus sim, quae beatitudinis meae scaturiginem, manare nunquam cessaturam, et dulce animi solamen constituunt: sit mihi quaeso venia, *Tibi* sincere communicandi, qua ego ad talia audenda mente incitabar, quod ni facerem, vereor, ne audaciae detur, quod fidei est et pietatis.

Ego enim, quem urbs, cujus nomen ex armis *Tuis* resonat, in sinu suo materno aluit, coluitque, urbs ea, quae ditionibus *Tuis* splendidissimis est contigua, tot tantosque *Nominis Tui* ejusque laudum admiratores, semper fovit, fovetque, a tenerrima jam aetate perceperam: *Lob-*

kowitzii Nomen illustre praedicari, *Lobkowitzii* amorem in patriam, clementiam et pietatem ad astra ferri, *Lobkowitzii* fortitudinem et virtutes odis popularibus attonito recitari orbi. Quamobrem ab ineunte jam aetate, *Nominis Tui*, grandiumque factorum candida me admiratio tenebat, sicque factum est, ut, quemadmodum puero per campos oberranti arx illa *Tua* excelsa, et antiquitatis decore venerabilis, illustre *Stirpis illustris* habitaculum, quocunque me verterem, ante pueri oculos versabatur; sic, quidquid pensitarem, quidve animo volverem, magna et praeclara, et illustria *Nominis Tui* facinora, me miro quodam modo adficerent, ut dum haec cogitationibus meis factisque non abessent, ego felicissimum me semper reputarem. His evenit ut et ego, quemadmodum Bohemus quisque, qui *Tuo Nomine* gloriatur, idque exteris superbus, dignis

praedicat verbis, tanta in *Te* ducerer animi propensione, quanta omnes, a quibus patriae Heroës, patriaeque decus, patriaeque fulcra, religione sacra coluntur, animi pietate in *Te* semper ferebantur. Ad haec accessit, quod *Lobkowitzii Stirpem* monimenta patriae literaturae protexisse, ejusque florem casta semper fovisse solicitudine, audiverim. Sed non illis solum ducebar, quae fama, actorum judicatrix non flectenda nobis retulerat, imo ipse, quamquam aetate adhuc florente incedam, talia sum expertus.

Probe enim mihi constat, *Patrem Tuum Celsissimum*, — cujus molliter cubant ossa, nam *Nomen Ejus*, et nobilium factorum memoria, cordi Bohemi uniuscujusque profundius sunt infixa — summopere fuisse delectatum omnibus, quae patria essent; *Eundem* patria protexisse instituta, patriae facta pervulganda adjuvisse, patriae lite·

ras coluisse, artes sustinuisse, et provexisse, patriae auctores fovisse, et ad majora audenda incitasse. Nullus equidem tum jam dubitabam, quum fortibus fortes gigni, magnanimisque magnanimos sim edoctus, *Te* quoque eadem in patriam mente ductum iri qua *Ille* ducebatur. Et profecto praeclara, quibus incedis factorum grandium monimenta patriae spem non frustrata sunt, et omen faustum nos non fefellit, quo lustris jam quinque oculos in *Te* convertebamus. Puerulus enim, quemadmodum Alcides venenatos serpentes, forti contorquens brachio, virtutis futurae specimen ediderat, *Tu nomine Tuo* praefixo, librum patrium cunctis comendans, *Te* rerum ad patriam pertinentium fautorem et protectorem, candide es professus. At magnus et illustris, qui cunctis praecedis *Maecenas*, et minorum non pertaesus, placida humanitate debilium quoque curam fers,

quae, cura hac clementi privata, mox supremum spirarent diem, *Tuo* vero *Nomine* ornata, vigore novo replentur, quemadmodum flosculi exigui, quos splendidi solis radii fulgore, deliciisque circumdederunt.

En talia me ad majora audenda, ad *Tuam* mihi tutelam petendam compulere, quam, quum clemens et mansuetus qualis es, nemini animo moesto abituro valedicas, *Tu* benignissime mihi conferre, eoque vitae meae beatitudinem firmare, liberalis non haerebas.

Sint *Tibi Princeps Celsissime!* grates nunquam periturae! At pauper ego factis verba refero! Quid porro? Medicus sum, humanae salutis conservandae vel restituendae quantum arte et pietate fit, curiosissimus. Ubi patrii mihi splendent Lares, *Tuorum* quoque subditorum arva florent. Illuc ego gressus dirigam, et quibus *Tu* ae-

que ac natis prospicis, opem meam paratissimus semper subministrabo, sicque, quantum in me est conabor, ut, qui primus juvenis animum dulci rerum futurarum spe sustinuisti, pauca haec animi gratissimi monimenta, benignissime experiaris.

Vale Princeps Celsissime!
et fave porro

devinctissimo
Fr. Jul. Kozdera.

Prooemium.

Juvabit, priusquam ad recensendas Bohemiae pestes transgrediar, quorumdam meminisse patriae auctorum, de quibus in libello vel sermo fit, vel quorum opera citata occurrunt.

Cosmas, *Pragensis Decanus*, vir certe fuit ut illa ferebant saecula, omni ex parte doctissimus, ut ejus historias legentibus patet. Vixit saeculo XI. Ex illius manuscriptis potissimum hauriebant historici recentiores. *Cosmam* publici juris fecit *Marquard. Freherus*, ubi hic desinit, supplevit alius sine nomine scriptor patrius, pari diligentia ac fide.

Aeneas Sylvius ex perillustri gente Piccolominaea natus, invicta Bohemorum ut ipse fatetur fortitudine adductus, jam Cardinalis, gentis historiam scripsit, auxilio potissimum usus *Joannis Taussek* canellarii antiquae urbis Pragensis. *Sylvius* primum Actuarii munus in Concilio Basileensi gessit, ejusque muneris commendatione, et quod elegantissime, latinissime ac prudentissime scriberet, a *Friderico III. Imperatore*, ad aulam vocatus, secretis epistolis adhiberi coeptus, mox etiam consiliis. *Friderici* opera Episcopatum, tum Purpuram, tandem etiam Pontificiam Tiaram virtute adeptus, *Pius II.* in factis adpellatur. Scripsit *Historiam Bohemiae* quam Alphonso, Magno, Arragonum regi dedicavit. Ac sane paucis gentibus ea felicitas contigit, ut historiae suae Pontificem haberent auctorem! Sylvii Historiae Bohemiae editio correctissima una cum quibusdam commentariis, prodiit Pragae 1766, ex Typographia Collegii aca-

demici, in qua corrupta nomina, suo genuino flore restituuntur.

Wenceslaus Hágek de Liboczan, Praepositus Vetero-Boleslaviensis, sub *Ferdinando I.* vixit. Annales Bohemiae, ingenti labore ab illo conscripti, aeternam viro gloriam pepererunt. Qui *Hágekium* accusant, quod multa fabulosa in historiam suam receperit, centum res memorabiles ab illo didicerant, quas antea non audierant. Huic Chronicae sequens est titulus:

Wáclawa Hágka z Libočan, Kronyka česká. Wytisstěna w menssjm městě Pražském, leta Božjho 1541.

W. Hagecii böhmische Chronik. Übersetzt von Johann Sandel. Leipzig. 1718. Fol.

Procopius Lupácius edidit latine Calendarium historicum, rerum ad Bohemiae historiam spectantium. Fuit vir graecae et latinae linguae doctissimus, domo Pragensis, Magister Philosophiae anno 1560, 1. Octobr. creatus. Tustae senatoriam obtinuit dignitatem. Obiit anno 1566. Praeclarus omnino ejus est liber, et lectu dignissimus.

Rerum Bohemicarum Ephemeris, sive Kalendarium historicum: ex reconditis veterum annalium monumentis erutum. Authore M. Procopio Lupacio Hlawaczowaeo, Pragensi. Pragae anno 1584. *8vo. min.*

Daniel Adam Weleslawjnus fuit domo Pragensis, pater ei Stephanus Adam erat ex pago Weleslawjn inter Pragam et Brzewnow. Philosophiae in Universitate Pragensi Magister creatus anno 1568; tum se historiae cognoscendae penitus penitusque dedidit. Ille omnia quae ad res Bohemicas pertinebant, summo judicio et severo chronologiae examine expressit. Ad linguae bohemicae cultum et elegantiam, quae Rudolphi II. tempore ad summum pervenerat, plurimum contulit ejus industria. Comparavit sibi

insignem et numeris omnibus absolutissimam Typographiam, ex qua, velut ex equo Trojano aut Amaltheae cornu, libri diversi et utilis argumenti, historici et medici prodierunt. Infinitum esset percensere omnia, quae Weleslawjno ejusque typis in lucem venere. Ille ipse multa scripsit, sed in Calendario suo historico, se ipsum superavit. Opus, quod in praesenti libello saepius citatur est:

Kalendář hystorycký, krátké a sumownj poznamenánj wssechněch dnůw gednoho každého měsyce přes celý rok. Od M. Dánjele Adama z Weleslawjna. W Praze 1590. fol.

Bartholomeus Paprocký, Polonus Eques, natus anno 1540, quum prius de nobilitate Polona et patria sua optime meritus esset, in Bohemiam se transtulit, et pulcherimum opus de familiis Bohemiae publicavit

Diadochus, id est: successio, ginák posslaupnost knjžat ceských, biskupůw y arcybiskupůw Pražských, a wssech třech stawůw slawného kralowstwj českého; od Bartholoměge Paprockého z Glogol a Paprocké wůle. W Praze. 1602. Fol.

Böhmische Chronika, durch Georgium Beatum, der freyen Künste Magistrum, und Bürgern zu Frankfurt. Frankfurt, durch Johann Spieß MDCIV. fol.

Fürsten-Spiegel, oder Monarchia des Hochl. Ertz-Hauses Oesterreich II Thle. Durch Johann Jak. v. Weingarten. Prag 1673. fol.

Mars moravicus, sive bella horrida et cruenta, seditiones, tumultus, proelia, turbae et alia id genus mala, quae Moravia hactenus passa fuit. Descripta a Thoma Joanne Pessina a Czechorod. Pragae 1677.

Epitome historica rerum Bohemicarum, quam Boleslaviensem historiam placuit appellare. Libri V. Authore Bohuslao Balbino e S. J. Pragae 1677. fol.

Ejusd. Miscellanea historica regni Bohemiae. Pragae 1682. fol. Tom. III.

Das sehenswürdige Prag, abgefaßt von D. Karl Adolph Redeln, hochgräfl. Schönburg. Rath. Nürnberg und Prag bey Joh. Fried. Rüdiger (ohne Jahrszahl) 8.

Poselkyně starých přjběhuw českých, aneb Kronyka česká, od Jána Beczkowského Djl přwnj. W Praze 1700. Fol.

Gloria et Majestas sacro-sanctae, regiae, exemtae, et nullius Dioecesis Wissehradensis ecclesiae S. S. Apostolorum Petri et Pauli praepositae; conscripta et in lucem publicam exposita a Joanne Floriano Hammerschmied. S. S. Theologiae Doctore etc. Vetero-Pragae anno 1700.

Ejusd. Prodromus gloriae Pragenae. Vetero-Pragae anno 1723.

Monumenta historica Bohemiae, nusquam ante hac edita. A. P. Gelasio Dobner a S. Catharina. Pragae 1764.

Alia opera, ex quibus pariter hauriebam, ad finem cujuslibet paginae adnotata invenies.

Memoria Pestium et Epidemiarum, quae regnum Bohemiae, in primis caput ejus Pragam, incolis denudarunt.

Anno post Christum natum 534 *Slavica* gens, a Bulgaris subacta et injuria pressa, sedem patriam, Danubii nimirum latus septemtrionale, reliquit, terramque *Bohemicam* et *Moravicam*, approbante *Francorum* rege, ad quos tunc temporis hae ragiones pertinebant, occupavit, ibique nomen *Czechorum*, hic *Moravorum* obtinuit; quae postmodum anno 630, virtute ducis *Samonis*, *Avarorum* jugum excussit, et regionem e ditione *Dagoberti* regis Francorum in libertatem vindicavit *). Adeoque Bohemorum vel Czechorum annales a saeculo VII. exordium ducunt; in quibus tamen, licet anno 618 in Germania, 640 Constantinopoli, 680 Romae et alibi in Italia pestis ingens regnasset **), nulla morbi epidemici mentio occurrit.

Saeculo VIII.

Bohemiam a peste, quae anno 717 Constantinopolin a Saracenis obsessam, anno 746 et 747 ex Calabria et Sicilia delata Constantinopolim graviter per triennium et ultra afflixit, demum anno 760 per universum quasi or-

*) Franz Martin Pelzel's Geschichte der Böhmen. Prag 1817. 8. 4. Aufl. Thl. I. S. 18—19. und 24—25.

**) Pauli Adami Biblioth. Loimica. Vindobonae 1784. 8. p. 189.

bem grassata est *), non fuisse immunem, ex hoc nuntio patet: anno 756 sub duce Przemislao munimentis, civitatem *Beraunum* ambientibus, extremam manum impositam fuisse; cui nomen a Bohemico vocabulo brâti (rapere, accipere) datum esse fertur, quod post pestem ibidem latrones habuerint **).

Anno 783 sive 784 quo filius *Nežamisli* creabatur dux, quia tota fere aestate nullae imbres cadebant, tanta erat terrae siccitas, ut semina non germinarent, gramina et herbae arescerent, pecudesque fame perirent. Autumno subsequente et homines tum fame tum repentina morte opprimi coeperunt ***).

Saeculo IX.

Anno 801 pestis in Italia, Germania et Gallia, 811 per universum orbem, 829 in Graecia, Thracia et Bulgaria, simulque pecudum lues, 856 Romae pestis anginosa ex inundationibus Tiberis, 865 in Britannia, inter incolas ad Rhenum ex magnis hujus fluminis inundationibus orta, in tota fere Asia, 892 et 898 Constantinopoli grassari visa est ****)

De Bohemia haec adnotata leguntur: anno 804 morbus pestilens ingens per totam regionem vagans magnam

---

*) Idem loc. cit. p. 188.

**) Joh. Jak. von Weingarten. Th. I. S. 41.

***) Hágek edit. origin. bohem. fol. 31. in germ. transl. p. 47. Georg Beatus p. XIV.

****) Adam a Lebenwaldt, Land-, Stadt- und Haus- Arzneybuch, sammt einer Chronik aller denkwürdigen Pesten. Nürenberg, 1695. Fol. Athan. Kircheri scrutinium contag. luis, quae Pestis dicitur Lips. 1659. 12. Chronic. Pauli Adami. l. c. p. 186—187.

hominibus aeque ac brutis intulit stragem, qua et Dux *Mnata* postquam annos 21 ad gubernacula sedisset consumtus est *).

Anno 830 magna erat frumenti copia et simuł mortalitas magna inter homines. Haec autem pestis, quae sponte incepit, sponte iterum cessavit **).

Saeculo X.

Ab exteris scriptoribus sequentes memorantur pestes: anno 910, 912 et 930 Constantinopoli, 937 in Germania, 938 Venetiis, 940 iterum in Germania et Mediolani, 985 et 986 in Italia, 989 Venetiis, 992 in toto fere terrarum orbe ***).

In Bohemorum annalibus hae referuntur: anno 961 Dux Boleslaus I. tempore vernali consilium cepit in Moraviam irruendi, totamque hanc provinciam eum in finem devastandi, ne in posterum ipsi et subditis suis tantae et tam frequentes a Moravis, ut antea, fierent injuriae. Quamobrem convocatis ultra duobus militum millibus, castra posuit sub arce *Oheb*, majorem adhuc ex Bohemia militum copiam expectans. Tertia autem die adeo vehemens coepit saevire inter milites pestis, ut intra spatium dierum sedecim, dimidia exercitus pars morte fuerit absumta. Mortui in sylva *Hrobice* dicta, sepulti sunt. Dux haec animadvertens a bello destitit et *Boleslaviam*, re-

*) Hágek in editione germanic. p. 54. Beczkowský. p. 81. Georg Beatus. p. XIV.

**) Beczkowský. p. 90.

***) Athan. Kircherus l. c. Adam a Lebenwaldt l. c. Discorso di peste, di M. Andrea Gratiolo di Solo Venetiis, 1576. 4. in Catalogo pestium. Paul Adami l. c. p. 185—186.

liqui autem milites *Pragam* redierunt. Post eorum vero adventum mox *Pragae*, *Kaurzimii*, *Zatecii* aliisque in urbibus et pagis magna hominum mortalitas exorta est, per annum fere integrum durans et adeo vehemens, ut duae fere tertiae incolarum partes ex ea perierint *)

Anno 968 pestis in Bohemia, Moravia, et Polonia regnavit **).

Anno 988 mense Junio et ea aestate fervor in Bohemia immanis paene cunctos fructus consumsit, et mox grandis hominum mortalitas subsequuta est. Sequente anno 989 cometae apparuerunt, quos pestilentia subsecuta grandis hominum et jumentorum, maxime boum ***).

S a e c u l o XI.

Pestis saeviisse fertur: anno 1006 in Germania, 1016 per universum fere orbem, praecipue per Italos, 1017 cum fame, 1022 in Italia et Constantinopoli, 1054 in Germania, 1057 in Macedonia, 1065 gravissima per orbem terrarum, 1084 in Asia et Europa, 1092 in pluribus regionibus et locis, 1093 et fames in Germania et Gallia, exundationes in Anglia, 1094 in Italia, Gallia et Germania, 1098 in exercitu Germanico-Gallico in Palaestina, in primis Antiocchiae et in Germania ****).

---

*) Hágek edit. germ. p. 229. Beczkowský p. 179. M. Dánnel Adam z Weleslawjna. Fol. 149. Hammerschmied Prodrom glor. Pragensis p. 665. Joh. Jak. von Weingarten Thl. I. p. 60. Ad. Redel Buch VIII. Kap. II.

**). Lupacius et M. Dánnel Adam z Weleslawjna Kalendář hystorycky. 22. Decembr.

***) Lupacius IX ex Cosma.

****) Georg Agricola de peste. Barthol. Platinae vitae Pontificum. In vita Benedicti VIII. Athan Kircherus et Adam a Lebenwaldt ll. cc.

Anno 1012 *Boleslaus*, Poloniae Rex, pristina sanitate recuperata, magnum convocavit exercitum, quocum *Bohemiam* versus properavit. Veniens ad urbem *Glatium* coepit illam expugnare. Praefuit autem militibus, ex parte *Bohemorum* Glatii *Rodek*, vir admodum strenuus et rei militaris peritissimus e stirpe *Waldek* seu *Wladek*, qui pertinacissime sese defendens urbem tradere noluit. Obsidebant interea Poloni Glatium, ast non diu, pestilentialis enim morbus, hostium castra invadens, intra octodecim dies ultra 1500 milites oppressit. Rex pertimescens, ne fors et ipse inficeretur peste, et reputans ingentem exercitus sui cladem, ab obsidione recessit Poloniamque repetiit *).

Anno 1016 quiescente ab inferendis Moraviae cladibus *Marte* cruento, antea jam persaepe gravis et exitialis pestifera labes crudelem in modum grassari coepit, quae, vi insanabilium morborum concepta, non tantum per Moraviam et Bohemiam, sed per vicina quoque regna, imo per universam Europam paene contagiis polluebat et mortibus, ita, ut demum vix decima hominum pars superfuisse scribatur. Incepit haec pestis Pragae 4. Februarii et duravit usque ad autumnum tanta saevitia, ut multi, sepelientes suos amicos, supra illorum cadavera corruerint et exspiraverint; unde ingens hominum multitudo Pragae periit. Domus quam plurimae incolis vacuae erant. Ea tum coeli intemperie Dux Bohemiae XVI. *Udalricus* jubet caesas circum Pragam et *Wissehradum* sylvas cremari; ita ut piceus ille pinquisque fumus aërem contagiosum discuteret depurgaretque; quod *Hyppocrates*, saeviente in homines morbo populari, fecisse fertur **).

---

*) Beczkowský p. 220.

**) Hágek edit. german. p. 176. Lupacius IV. Februar,

Anno 1028 tempore vernali in Bohemia densa ac lucis usum eripiens, quotidie et per sat longum tempus nebula exorta est, quae foetorem intolerabilem spargebat. Postea ingens erucarum, papilionum ac locustarum copia in conspectum venit. Erucae, omnes arborum frondes depascentes, nec sylvis pepercerunt. Locustae gramina in pratis, segetes in agris et omnes alias plantas devorarunt. Postea erucae, in hominum irrepentes habitacula, aërem foetore nauseoso corruperunt. Papiliones vero ubi in lutosum ceciderunt humum, haerentes in illo et morientes, novum quoque spargebant foetorem. Ex hoc sat diu perstante foetore, aër athmosphaericus ita contaminatus est, ut circa festum Sti. *Galli* hominum mortalitas frequens praecepsque ingrueret. Periit tunc temporis magna quoque pecorum copia *).

Anno 1029 tempore hiemali frigus erat vehemens et multae cadebant nives; inde aquarum magnae inundationes. Revertente vere arbores cito et copiose florebant, quod eo magis mirum videbatur, quo magis anno praegresso arbores a tanta erucarum copia devastatae fuerant. Eodem anno etiam tanta erat fructuum horeorum copia, ut in hortis aeque ac in foro Pragensi, pirorum corbis insignis magnitudinis pro duobus, malorum pro unico venderetur grosso. Ex immodico autem pomorum usu, circa festum Sti. *Wenceslai* homines frequenter aegrotare coeperunt ex dysenteria. Mense Novembri circa festum Sti. *Martini* morbus hic pestilentialem induit indolem, et du-

---

Weleſlawjn IV. Febr. Pessina p. 245, Hammerschmied Prodrom. glor. Pragens p. 665, glor. Eccles. Wissehrad. p. 36, Joh. Jak. Weingarten Th. I. Fol. 129, Balbin Epitome p. 157.

*) Hágek edit. bohem. fol. 110, edit. german. p. 181. Lupacius XVI. Octobr. Beczkowský p. 224.

ravit usque in mediam Quadragesimam. Durante hac peste varia hominibus adparuerunt spectra, tum per plateas urbium, tum per pagos ambulantia, ex quibus multi ad mortem usque perterriti sunt *).

Anno 1035 sub Duce *Brzetislao* a Judaeis puteos infectos, inde multitudinem plebis morte absumtam, propterea que Judaeorum nonnullos rogo impositos et crematos fuisse legimus **).

Anno 1043 magna erat annonae penuria, ex qua famis tanta exorta est vehementia, ut tertia fere hominum pars ex ea perierit. *Dux Brzetislaus* exinde magno dolore et commiseratione afflictus, farinam et panem ex *Moravia* in *Bohemiam* advehi curavit, quo permultos homines servavit ***).

Anno 1067 sub *Wratislao* II., Rege Bohemiae primo, circa festum Sti. Georgii indies intensae et spissae erant nebulae, in Bohemia, ita ut homo ad quatuor passus nihil videre potuerit; ex quibus prodiit intolerabilis foetor, et tales foetidae nebulae durarunt per 35 dies. Deinde aestate circa festum Sti. *Joannis Baptistae* venit pestis et duravit usque ad festum Sti. *Martini*, qua tertia hominum pars in Bohemia obiit. Eam pestem autem ipsam ex nebularum ortu atque haustu progeneratam esse ajebant Physici et Medici. Vulgi quoque rumore sparsum fuit, acsi homines cum horrendis quibusdam bestiis congrederentur, quae ipsis sub variis monstrorum speciebus adparerent ****).

---

*) Hágek edit. bohem. fol. 110 german. 181. Weleslawjn XXVIII. Septembr. Beczkowský, p. 224. Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 665.

**) Georg. Beatus p. XXII.

***) Beczkowský, p. 235. Georg. Beatus p. XXII.

****) Hágek edit. bohem. fol. 131, germ. 223. Lupacius 1066

Anno 1085 Mense Aprili coepit Pragae pestis et duravit usque ad Novembrem. Potissimum vero grassabatur circa festum St. *Joannis*, ita, ut per diem 50 personae sepelirentur. Postquam autem Episcopus *Jaromirus* jejunium et preces hominibus, senibus et juvenibus, indixisset, pestis intra octiduum cessavit. — Tunc quoque temporis crebra per pagos, sylvas et oppida comparuerunt hominibus spectra, ostenta, atque terriculamenta; plerique hominum conspectu talium phantasmatum exanimes fuisse scribuntur *).

Anno 1092 Rex *Wratislaus*, convocato Bohemorum exercitu contra *Brzetislaum* filium suum, et contra *Ladislaum*, Hungariae Regem, die 8. Junii castra posuit prope *Chrudimium*. Quo facto numerabantur ultra 16,000 militum. Ex his autem, repente exorta peste, eaque intra 14 dies, circa duo millia morte sunt ablati. Rex quum neque diutius *Chrudimii* manere, neque ulterius versus Hungariam potuisset progredi, dimisit exercitum, ipseque Pragam rediit **).

Anno 1093 facta est eclypsis solis, duravitque ab hora prima usque ad sextam. Subjungunt scriptores, subsecutam fuisse ingentem postilentiam, quam illi adpellant mortalitatem ***).

XVI. April et 1067. XXII. Junii. Beczkowský p. 253. Georg. Beatus lib. VIII. cap. II. p. 563. Hammerschmied Prod. glor. Prag. p. 665.

*) Hágek edit. bohem. fol. 139. germ. p. 237. Lupacius XXII. Junii. Weleslawjn XXII. et XXIV. Junii. Beczkowský p. 259. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 666. Adolph Redel Buch VIII. Kap. II.

**) Hágek edit. bohem. fol. 145, germ. p. 249. Beczkowský p. 267.

***) Lupacius ex M. S. Hermanni Chr. XXI. Septemb. XXVII. Novemb. XXIII. Julii.

Anno 1094 magnus versus meridiem visus cometes. Post hunc Bohemiam pestis invasit, quae vix tertiam hominum partem sanam reliquit. Maxima mortalitas fuit in Theutonicis partibus; nam redeuntibus de Moguntia Episcopis, *Cosma et Andrea*, qui missi erant a Duce *Brzetislao* ad Imperatorem *Henricum* III., dum transirent per quandam villam nomine *Ainbeck*, parochiam ecclesiam quamvis sat amplam, quae est sita extra villam, non potuerunt intrare, ut audirent Missam, quia totum ejus pavimentum usque ad unum punctum erat cadavere plenum; quam praetereuntes non longe ab urbe in medio pernoctaverunt Episcopi campo *).

Anno 1095 sub Duce *Brzetislao* II. die 4. Aprilis plerisque in locis per Bohemiam, sub tempus matutinum, visae sunt stellae, acsi de coelo laberentur. Eodem quoque anno inconsueti coeli ardores de nocte comparebant, et die 21. Septembris tetra solis ecclipsis facta est; die 2. Octobris visus fuit cometes ad partem meridionalem. Anno sequente in tota Bohemia in conspectum procedebant vermiculi ravi, gregatim, omnia perreptantes, primum segetes, dein gramina, demum frondes arborum consumentes; quibus oborto imbre magno et assiduo, repenteque ingruente calore, enecatis, ex foetore rure et in urbibus sparso, ortus est morbus inter pecudes et homines, hos in primis cephalaea infestans, non tamen bubonibus stipatus, nihilo minus adeo funestus, ut horum

---

*) Cosmae, Pragensis Ecclesiae Decani Chronicae Bohemorum libri III, item Sti. Adalberti Episcopi Pragensis vita et Martyrium ab eodem Cosma descripta. Hannoviae, 1607. Fol. Edita a Marquaro Trehero lib. III. p. 50. Weleslawjn II. Octob. Gel. Dobner ex Chronic. Joan. Marignolae. Tom. II. p. 182.

vix tertia, illorum vero vix decima pars manserit superstes *).

Anno 1098 propter nimium aestum parum erat frumenti, unde circa festum St. *Wenceslai* magna erat caritas. Et anno 1099 a Pentecoste usque ad festum omnium Sanctorum nullae cadebant pluviae, segetes omnes exsiccatae sunt et corruptae; quare homines permulti, praesertim in regionibus montanis, ex fame moriebantur. Ad exitum hujus anni saeviebat in homines pestilentia, ita quidem, ut, qui a fame relicti fuissent superstites, hac lue contagiosa, ex foetore aëris coorta, e medio tollerentur. Magnopere tum exinanitae incolis fuerunt Bohemiae urbes, oppida, oppidula, pagi **).

Saeculo XII.

Plures morbi epidemici in diversis Europae regionibus, anno 1125 in Germania pestis, ex piscibus praegrandi frigore necatis et pluviae abundantia nata, demum anno 1145 atrox pestis regnavit ***).

Anno 1125 tertio Idus Augusti undecima diei hora, ecclipsis solis fuit, quam secuta est in Bohemia boum, pecorum et aliorum animalium mortalitas, quin et apum

---

*) Hágek edit. bohem. fol. 149, german. p. 257. Lupacius 1095. IV. April. XXI. Septemb. Beczkowský p. 271. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 166. Adolph Redel Buch II. Kap. II.

**) Lupacius XXVIII Decembr. Beczkowský p. 272. Joh. Jak. v. Weingarten Thl. I. p. 60 Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 666 Adolph Redel l. c.

***) Paulus Adami l. c. p. 181—182.

pestilentia secuta est; perierunt et segetes autumnales fuitque penuria mellis *).

Anno 1133 die 22. Februarii luna passa est ecclipsin; quarta pars ejus denigrata fuit et ita imminente ortu solis occidit. Hanc obscurationem pestilentia hominum deinde secuta est **).

Anno 1147, die 26. Octobris, fuit ecclipsis solis circa horam diei paene quartam; subsecuta est eo ipso anno fames, famem pestilentia et mortalitas magna, utraque posteritati incredibilis ***).

Anno 1156 regnante *Wladislao* fuit annus admodum siccus. Die 17. Junii hora prima, luna ecclipsin passa, quam pestis secuta est, quae multos mortales absumsit ****).

Anno 1161 in Bohemia homines ex aëre venenato coeperunt mori, inter hos et medici periti, praesertim Pragae, ubi postea judaei — qui anno 1144 in Anglia *Nordwikii* infantem Christianum in crucem egisse et transfodisse accusati, ideoque omnes interfecti sunt — se medicos profitentes, multis ad sanitatem pristinam assequendam operam suam praestabant, curantes simul, ut alii suae religioni addicti, quos cum scirent, aegrotos adirent, medicos suae nationis laudarent commendarentque. Subortam paulo post Christianorum mortalitatem insolitam, absque bubonum pestilentialium apparitione, Judaeis insuper eodem tempore salvis, constellationi planetarum generatoque exinde veneno interno

*) Hágek edit. german. p. 296. Gelas. Dobner ex chronico Joan. Marignolae Tom. II. p. 200.

**) Ex M. S. Lupacius XXII. Februarii.

***) Ex Tritemio Lupacius XXVI. Octob.

****) Lupacius XVIII. Junii. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 666.

adscribebant; Medici vero Christiani, interim ex Italia exantlato studio medico reversi, cladem non a peste, sed a veneno dato derivabant, multisque sanitatem restituebant, cum interea curati a Judaeis perirent. Re ad Regem *Wladislaum* delata, his cura aegrorum interdicta est. Qui tamen, cum et post nihilominus aegrotos clam visitare pergerent, eisque medicinam adeo infaustam propinarent, ut multi eorum interque hos *Božislaw*, vir nobili loco natus, occumberent, temerarii in malitiae summae suspicionem vocabantur. Capti Pragae viginti tres, datique in tormenta confessi sunt: sese conjunxisse ex mero Christianorum odio, ad salvandum inter tres aegrotos unum, ad necandos vero caeteros; eosdem ea ratione jam 3000 Christianos neci tradidisse, tum toxicando potulenta, tum inficiendo aërem cubiculorum. Quo audito Rex horum octoginta sex ante portam Wissehradensem rogo impositos cremari, remque perpetuae memoriae gratia in annales, addito interdicto, consignari jussit: ne quis Judaeum sibi eligat medicum, neque ab his sumat cibum et potum. Haec quum accidérent Pragae, plures alii in diversis Regni civitatibus similem experti sunt sortem tristem. — Eo morbo inter Christianos grassante, Medicum praeclarum, ex antiquissima nobili familia de *Chodau*, patriae suae egregiam dedisse operam, memoratur *).

Anno 1168 dira et inopinata pestis grassabatur in Bohemia, qua multi primorum Regni obierunt, inter hos *Renaldus*, Archiepiscopus Colinensis, *Daniel*, Episcopus Pragensis ibidem mortui sunt, cujus carnes ibi reconditae, sed ossa sunt Pragam delata. Incepit morbus mense Aprili et duravit usque ad Novembrem. Mense

---

*) Adolph Redel l. c. Joh. Jak. v. Weingarten Thl. I. S. 129.

Julio et intrante Augusto aestas erat intolerabilis, nebulosa et pestilens aura; simulque mira insolitaque signa et species tam in coeli plaga quam in terrae globo in conspectum procedebant *).

Anno 1177 civitas *Braunavia* prope Silesiae limites morbo incolis nudata est **).

Anno 1180 sub regimine Principis *Břetislai* die 7ma Maji circa horam 15 horologii Bohemici, visa fuit horrida eclipsis in sole, quam sequebantur infectuosi varii morbi et ex ipsis pestiferae mortes, praesertim Pragae ***).

Anno 1186 aestate, itemque anno 1187 die 24. Junii magna incidit solis defectio; consequuta est hanc primum magna annonae caritas, dein vehementissima pestilentia, non tantum per Bohemiam grassando, sed totum prope terrarum orbem pervagata. Judaica tum gens, potissimum vero ditiorum Praga emigrat, multi ex ea in itinere praedati ****).

Anno 1191 die 22. Junii, furente pestilentia, per aliquot horas sol mirifice est obscuratus; quam rem insignem aliquam principibus plerumque portendere calamitatem, vulgari hominum observatione compertum est. Ast Dux Bohemiae *Conradus*, qui Caesarem *Henricum* cum copiis quibusdam comitatus est, ejusdem corona-

---

*) Hágek edit. bohem. fol. 197, german. p. 351. Lupacius I. April. Weleslawjn I. April. Paprocký Diadochus lib. I. p. 110. Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 667. Adolph Redel l. c. Gelas. Dobner ex chronogr. Siloensi ab anno 1167 usque 1192 T. 1. p. 79.

**) Bienenbergs Alterthümer Böhmens St. 1.

***) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 667.

****) Hágek edit. Bohem fol. 208. German. p. 368. Lupacius XXIV. Junii. Paprocký Diadochus lib. I. p. 114. Beczkowský p. 382. Adolph Redel l. c.

tioni Romae praesens, ipsique Neapolis obsidione occupato adfuit, peste in exercitu orta, eadem jam anno praegresso exstinctus est *).

Saeculo XIII.

Anno 1202 pestis in Syria exercitui *Balduini* maxime erat damnosa; anno 1217 copiarum Gallicarum, expeditionem in Syriam parantium, insignis multitudo in insula Cypro peste est exstincta. 1218 Christiano exercitu Damiatum obsidente pestis ex fame cadaverumque insepultorum foetore nata est; in Polonia ab anno 1221 usque 1224 itemque Vindobonae et in ejus confiniis dominabatur; 1242 in Graecia, Italia et Gallia calorem ingentem ac siccitatem secuta est pestis; anno 1254 Mediolani pestis adeo altas egit radices, ut multis annis omni arte humana tolli non potuerit; anno 1269 et 1270 pestis classem *St. Ludovici* IX., Regis Galliarum in expeditione navali Africam versus invasit vel potius castra ejusdem Tunetum jam obsidentis; ipse Rex ea afflatus, juncta dysenteria obiit. Eodem anno pestis Austriam et Vindobonam devastavit. Anno 1271 tam inaudita facta pestilentia in Austria et Hungaria, ut ex tam vehementi plaga pestilentiae hujusmodi in fossatis maximis simul et simul homines mortui tanquam pecora infoderentur. Eadem per vices quotannis reversa est. Anno 1285 pestis erat in Italia, dein quoque in Belgio; anno 1286 in Austria et in aliis regionibus volatilium lues **).

*) Lupacius ex Sigonio XXII. Junii. F. M. Pelzel's Geschichte der Böhmen 4. Aufl. Thl. I. S. 111.

**) Paul Adami l. c. p. 179—181. Fuhrmann's altes und neues Wien Thl. I. Chronic Melicens. p. 164. H. J. Fenger Historia pestilentiar. Vindobonensium 1817. Longinus hist. Poloniae. Joann. Lernet de peste dissertatio Cremeneci 1814. 8. p. 8—9.

Anno 1262 in Bohemia sata, arbores et fructus tam siccitate quam tempestate multipliciter perierunt, fames maxima et mortalitas sunt secutae, caritas etiam inaudita, ut frumenta et pabula pro equis vix reperirentur. Et anno sequente 1263 fames etiam coëgerat villanos dimissis agris cum unxribus et filiis mendicare, rapere et furari; jumenta et pecora propter pabuli defectum interierunt et propter asperitatem hiemis subsecutae. Anno etiam sequenti vis ventorum tanta fuit, ut prosternerent campanarium ecclesiae Pragensis et multa alia aedificia et turres et arbores sine fine. Etiam fuit inundatio aquarum et procellae et tempestates permagnae *).

Anno 1278, post crudelissimam mortem Regis Bohemiae *Przemislai* III *Ottocari* pace facta, respiravit quidem a bellicis calamitatibus *Moravia* et *Bohemia*, sed mox annis subsequentibus fame rerumque inopia ac demum peste, quae plerumque famem sequi solet, conflictari cogebatur extrema. Ita praeter domesticos scriptores narrat etiam Misnensis Presbyter *Siffridus*: »Mortuo rege Ottocaro statim maxima clades totius regni ejus sequuta est, ita, ut per triennium quotidie gens Bohemorum, de terra sua fame compellente et inopia, relictis habitaculis transmigrarent, venientesque in Misniam, Thuringiam et alias partes Teutoniae miserabili inedia per plateas civitatum mortui corruerunt.« Ita ille, qui tum vivebat et haec videbat. Ex quo adparet, quam miserabilis fuerit tunc per Bohemiam et haud dubie etiam per Moraviam rerum status! adparet quoque, quam hospitales fuerint vicini Teutones erga nostros homines peregrinos et miseros pauperes, ut apud illos fame mori cogerentur!!! *Quis unquam in Bohemia vel*

---

*) Gelas Dobner et Chronico Marignolae T. II. p. 223.

Moravia peregrinum fame mortuum vidit vel audivit! — His malis accedebat *Ottonis* Brandeburgensis, hominis avarissimi, in Bohemia dominatio, cum insigni tyrannide conjuncta, qui assiduis paene exactionibus regnum gravabat, et lacerum jam ante, magis adhuc lacerabat, expilabat, diripiebat, tyranno similior quam tutori aut gubernatori. Nec bonis ecclesiasticis Deoque dicatis pepercit *).

Anno 1282 Marchio Brandeburgensis *Otto*, quum ob officia in Saxonia peragenda illuc proficisceretur, episcopum suum *Eberhardum* sui loco Pragae reliquit, summaque potestate gubernatoris Bohemiae per hoc tempus illum instruxit, monens simul, ut justum semper omni in re servaret ordinem. Ast ille pessime hac concessa sibi potestate in Bohemorum detrimentum usus est. Spoliatis enim ecclesiis, misit milites et satellites suos per totam provinciam, a quibus incolae in urbibus et rure pessime tractabantur. Ideo domus suas reliquerunt et cum mulieribus et prolibus pecudumque gregibus silvas densissimas petierunt, habitantesque ibidem, usque dum hiemis ingrueret tempus, et profundae ubique jacerent nives. Ast neque hic tuti latebant; milites enim Episcopi, Bohemos ubique quaerentes, captabant et spoliabant singulos, et pecuniam ab illis crudelissimo modo extorquebant. Bohemorum alii, qui nil habebant, quod darent hostibus, vestibus sunt privati, et frigori hiemali expositi fere ex integro nudi. Alii, habitantes ad montes altiores et rupes cum mulieribus et gnatis, magis quidem tuti erant ab hostium invasionibus; ast fame torquebantur ingenti, quam cum amplius perferre nequirent, ex sylvis impetus fecerunt in homines transeuntes, interficientes singulos, quos capere licuit, et comedentes

*) Pessina p. 384.

ob famis vehementiam. Alii, fame coacti, cadavera nocturno tempore e patibulis rapiebant, quorum carnibus fami urgenti satisfacere conabantur. Nec deerant exempla, famem ad tantum adscendisse gradum, ut matres proprios proles occiderent, seque illorum carnibus satiarent. Prope civitatem *Melnicensem* hostes hoc modo tractare solebant rusticos: ligabant miserorum quinque aut sex in fasciculum, (ut solent rustici manipulos colligere in campo) et imponebant rhedis, quique nummis solvere vitam nequiverunt, ex altissimo montis culmine in Albim praeterlabentem praecipitabantur. Bohemi ditiores, bona perdiderunt sua, aliorumque opem spoliati flagrantes in Misniam et Thuringiam aliasque vicinas provincias migrabant; multi stipem ibi frustra quaerentes, fame periere. Hinc inde fimo infossi jacebant permulti nudi fere, foeminae et mares, ob frigoris vehementiam et famem morientes, non solum in patria, sed etiam apud vicinos Germanos, in pagis aeque ac in urbibus. Consules magistratus Pragensis, quum tam ingentem viderent per civitatis plateas exstinctorum numerum, octo amplas et sat profundas curabant fieri fossas, quarum singula ultra mille hominum cadavera capere poterat. Prima erat in platea vulgo dicta *Porzicz* ad ecclesiam St. *Petri et Pauli*, in quam 2000 defunctorum cadavera infossa sunt; duae ad St. *Lazarum*, duae ad St. *Stephanum* (na rybnjčku) iterum duae prope arcem Wissehradensem (w Pſářjch), octava vero ad ecclesiam St. *Joannis* (w Oboře). Omnes hae fossae intra sex menses mortuis erant repletae; postea autem, quum jam non sufficeret locus, cadavera ex urbe vehebantur. Plures enim homines tunc ex fame et peste perierunt, quam quibus vitam salvare licuerat. Germani, quum viderent etiam inter illos pestem grassari, Bohemiam cito derelinquen-

tes, Brandeburgium confugerunt, cum illis quoque *Eberhardus* Episcopus *).

Saeculo XIV.

Anno 1307 dira pestis in Anglia; 1316 in tota Germania, Frisia, Flandria et Burgundia; 1317 per universam Europam item et 1320, 1333 in Florentia, imo tota Hetruria ut et Germania; 1345 Noribergae. Eodem aut sequenti anno 1346 exorta est pestis longe atrocissima in Tartaria majori, quae per universam Asiam, Europam, ex Oriente quidem in Graeciam, hinc in Illyricum et ex hoc in Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, Poloniam, Russiam etc. translata, ibique *mors nigra* dicta, et ad annum 1349 adeoque integro quinquennio saeviit.

Anno 1353 pestis in Africa; 1357 in Hetruria et in Foro Julii; 1359 in Italia et alibi; 1360 in Germania et Anglia; 1361 admodum atrox in Lombardia, maxime funesta Parmensibus; 1369 Mediolani, Venetiis, Genuae; sequentibus annis in tota Italia; 1375 in tota Germania; 1382 in Europa et Asia; 1391 et 1394 in pluribus locis; 1397 Genuae, imo in tota Italia itemque 1400 **).

---

*) Hágek edit. boh. fol. 257. german. p. 455. Beczkowský p. 450. Paprocký Diadochus. lib. I. p. 123. Adolph Redel l. c. Weleslawjn 1283, XV. Januarii, Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 667. et Eccles. Wisseh-rad. p. 56.

**) Adam de Lebenwaldt l. c. Athan. Kircherus. l. c. Paul. Adami l. c. p. 174—178. Kurt Sprengel's Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneykunde, Halle 1793. Thl. II. Jos. Bernt's Beytrag zur Geschichte des schwarzen Todes in den med. Jahrbüchern des k. k. österr. Staates. Neue Folge Bd. II. Stück I. S. 67—79.

Anno 1301 sub Rege Bohemiae *Wenceslao III.* die 22. Decembris, ante natalem Domini, cometes caudatus adparuit, per totum mensem post occasum solis, jam ad occidentem, jam ad orientem vertebatur. Versus finem anni ingens pestis secuta est in Bohemia, Moravia et Silesia *).

Anno 1305 sub exitum Quadragesimae apparuit Cometes, quem pestis per universum orbem secuta est **).

Anno 1314 die 22 Decembris ante natalem Domini visum est sidus crinitum; quod tres menses luxisse scribitur. Eodem anno tres lunae comparuerunt. Anno sequente fames et pestis premebat Bohemiam confinesque regiones tam dira et atrox, ut ad humanas carnes deventum esset ***).

Anno 1316 (quo natus est *Wenceslaus*,) postea *a Carolo* Galliae Rege *Carolus* appellatus) exundationes fluminum, tota Europa maximae, commemorantur. Hiems, quae fuit durissima atque asperrima, ad diem 28. Martii usque duravit; Albis autem noster, qua illi ad mare iter est, ripis suis effusus, innumera Regionibus intulit damna; Cometa quoque tristissimus luxit; secuta plurimis in provinciis atrox pestilentia, maxime in urbe *Metensi*, de qua mira narrat *Franciscus*, quae ait se audisse, referente *Petro* Archiepiscopo Moguntino ****).

Anno 1317 circa 29. Septembris maxima hominum pestilentia in Gallia atque Flandria grassari coepit. In Bohemia quoque a plurimis domesticis tumultuatum. Et

---

*) Hágek edit. germ. p. 483. Lupacius et Weleslawjn ad XXII. Decembr. Bečžkowský p. 469. Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 667—668.

**) Ex Chron. Saxon. Lupacius XXI. Junii.

***) Lupacius XXX. Novembr. et XXII. Decembr.

****) Lupacius XXVII. Martii. Balbin. Epitome p. 320.

quoniam fruges hibernae frigoris vehementia admodum fuissent laesae, ex annonae caritate fames gravissima, famem post et pestis est consecuta *).

Anno 1318, Rex Romanorum *Ludovicus*, pacis amicus, Bohemiae Regem *Joannem* cum *Elisabetha* regina, nec non majores Bohemiae, qui auctores discordiae fuerant, in *Thust* civitatem convocavit; ibique in die sancto Paschae, qui tunc in diem beati *Georgii* evenerat, inter partes contrarias reconciliationis concordiam sub temporis brevis compendio, ordinavit. — Tali durante discordia nimia famis praevaluit miseria, ita ut intra unius anni spatium, in porta Scedelicensi triginta millia hominum fuerint sepulta. Consimilis quoque pestilentia in omnibus civitatibus, oppidis et villis exstitit, et universa terra. In omnibus locis foveae fodiebantur, quae mortuorum cadaveribus replebantur. In tantum namque praevaluerat fames, tam ex sterilitate quam ex discordantium austeritate, ut jam deficientibus alimentis, et malis invalescentibus, quidam rustici cum uxoribus suis domicilia sua desererent, sylvas peterent, quos inveniebant, homines occiderent, comederent, sic se pascerent. Porro inter *Mucham* et *Grethz* civitatem, viginti quatuor tales bestiis ferociores homines adhuc more lupino circumeunt quaerentes, quem devorent aut mactent. Ex quibus duo nuperrime capti fuerant: quorum unus, emendatione promissa, liber dimittitur, alter poenitere nec a tali inaudita crudelitate cessare nolens, igne crematus est. Praedicta igitur sedata discordia, sedari incipiunt etiam plura mala: statim annona, quae nimis pretiosa fuerat, levius venditur, et se mutuo populus consolatur **).

---

*) Lupacius XXIX. Septembr.

**) Marq. Trcherus et Chronica aulae regiae, de Joanne rege Bohemiae Cap. II. p. 24—26.

Anno 1324 tempore Regis *Joannis* Luxenburgensis, iterum exorta est Pragae magna pestis, et incepit a die 26. Junii *).

Anno 1328 sub eodem Rege, Martio mense eclipsis lunae visa est, quem vehementissimus ventus per quatuor hebdomadas et maxima omnium animalium atque etiam hominum mortalitas excepit. *Elisabetha* Bohemiae regina, metu tantae plagae perterrita, processiones cum reliquiis Sanctorum ad avertendam Dei iram Pragae instituit, quibus factis, pestilentia mitior evasit, ac paulo post conquievit. Postea tempore aestatis variis in locis valida terrae concussio observabatur, praesertim in vicinia urbis *Zatecensis* et *Litomericensis* **).

Magister *Joannes David Toletanus*, et omnes magistri ejusdem loci, in epistola de astronomica scientia conscripta, et anno 1322 publicata, plura mirabilia anno 1329 ventura praedixerat, v. g. ventorum conflictionem, aëris obsucrationem, proelia magna, terrae motum universalem, famem, mortalitatem, traditionem regnorum ad invium, mortem imperatoris magni, diluvium etc. Ast fere omnia, quae eadem epistola spiritu pseudographo praedixerat, fuerunt mentita; imo iste annus quietus fuit et temperatus et in blado (i. e. frumento, annona) plurimum fructuosus ***). Eodem anno tamen pestilentia invasit atque divexavit Bohemiam: homines correpti dysenteria ex nimio pomorum, quorum hoc anno proventus fuit uberrimus, esci concitata ****).

---

*) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 668.

**) Ex Chronica aulae. reg. de Joanne, Marq. Treherus Cap. XX. p. 61. Beczkowský. p. 504. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 668.

***) Marq. Treherus l. c. Cap. XXII. p. 140.

****) Lupacius XXVIII. Septembr.

Anno 1340 per integram Bohemiam pestis grassabatur; magna quoque erat annonae caritas, inde fames *).

Anno 1345 sol et luna sed non diu, passi defectum, et subsecuta est pestis popularis hominum plerisque in regionibus, et bella aspera inter Christianos, potissimum autem ad solem occidentem. Phrysii vastabant Hollandiam; caesa multa hominum millia **).

Anno 1349, quo *Carolus IV.* gubernacula regni suscipiebat, auspicia erant tristissima et periculosissima; et enim tunc populi, ac totius regionis calamitates paene omnes, quasi summo furore incensae, Germaniam depopulabantur. Provinciae bellis inimicitiisque continuis devastabantur; frugum sterilitas et annonae caritas per plures jam annos regionem dirissime vexabant. Terrae motus validus, anno praegresso exortus, Germaniam fere totam pervagabatur, et civitates, arces, pagos, monasteria, aedificiaque splendidissima aeque ac tuguria humilia, subvertebat. His accessit tandem versus finem anni 1347 pestis, ab occidentalibus Europae partibus orta, ex Oriente in Italiam delata, cui historia vix ullam parem memorat, quae totum paene orbem pervasit et quatuordecim annis misere depasta est, sic ut tertiam mortalium partem absumsisse videretur. Haec ex Gallia venit in Bohemiam. Id autem haec lues peculiare habebat, quod nullis se manifestaret ulceribus aut bubonibus; quibus vero ab illa prehensis vel caput vel abdomen intumuit, hi inevitabili tradebantur morti. Haec pestis pro parte Regi *Carolo* occasionem praebuit ad amplificandas areas, templum *St. Stephani* et *St. Henrici*

---

*) Hágek edit. Bohem. fol. 344. Weleslawjn et Lupacius X. Febr.

**) Lupacius et Hágecii Chron. XXIII. Januarii.

cingentes. — Secuta non multo post quoque est mors *Blancae*, Imperatricis et Réginae Bohemiae, uxoris *Caroli IV.* Accusabantur demum Judaei, acsi puteos veneno imbuissent, ut Christiani omnes simul atque semel enecarentur. Haec opinio plebem, minime advertentem, ab eadem lue Judaeos aeque ac Christianos exstingui, adeo devicit, ut gentem infelicem invaderet, eorumque multa millia flammis traderet, aut alio modo misere occideret, eorum domicilia spoliaret et incendio deleret. Tandem *Carolus* Rex, Judaeis praesidio fuit, qua famulis suis a cubiculo, Pontifexque ipse quoque crudelitates universales interdictis refrenavit. Furor plebis adversus Judaeos miseros quam maxime caterva hominum, pietatem simulantium, quae tunc temporis sub titulo *Flagellantium* caput extulit, incensus est. Horum agmina ex vicina Germania in Bohemiam quoque sese infodere, alteri alteris, profani profanis, confitebantur peccata, et absolvi se omni poena credebant. Matronas praecipue juniores in suas tenebras et foedissimas obnoctationes trahebant. Horum exstinctionis quoque curam *Carolus* Rex gessit, timens ex eorum multitudine seditionem, et *Arnestus* Archiepiscopus flammis coetus illos impios dissipavit *).

Anno 1360 in Bohemia viguit secunda pestilentia sub *Carolo* IV. Grassari coepit circa festum nativitatis Stae. *Mariae*. Eo ipso anno magna in Bohemia exstitit anno-

---

*) Hágek edit. bohem. fol. 322, edit. germ. p. 571. Lupacius 1348. XXV. et XIV. 1350. XX. Julii. Weleslawjn 1347. XIV. Januarii. 1348. XXV. Januarii, 1349. XX. Julii. Paprocký Diadochus. lib. I. p. 143. Beczkowský p. 540. Hammerschmied. Prodr. glor. Prag. p. 668. Balbin. Epitome. p. 360. Pelzel Kaiser Karl IV. Thl. I. S. 246.

nae caritas, quam est consecuta adeo gravis fames, ut homines inedia enecarentur *).

Anno 1361, quo *Carolo* IV. ex *Anna* Jaurinensi Silesia, *Stinconis* Swidnicensis Ducis filia, Noribergae 17. Martii *Wenceslaus* (patri postea dissimillimus filius) natus est, fame et peste crudelissima Bohemiam vicinasque provincias contigit conflictari. Cum tanta annonae caritas et angustia *Carolum* amplius latere non posset, is ingente famentium multitudine advocata, opus divisit, et moenia illa super *montem Petržinum* late jacentia, et parvae urbi Pragensi imminentia in altum eduxit; dabatur mercenario in diem *panis* unus et *albus nummus*, quorum nummorum tres, duos faciunt obulos germanicos; ex quo de vilitate annonae (etiam in ipsa fame) cuique conjecturam facere licebit. Quid porro Archiepiscopus *Arnestus* (cui ipsius misericordiae praecordia inesse videbantur) egerit, et quam liberaliter egenorum necessitati subvenerit, M. S. codex vetustus describit, et in triplici ejus vita legimus. Is etiam in epistola episcopali per dioecesin missa, praesidia ecclesiastica contra pestem ordinavit, quam nemo unquām intelligere, nedum propulsare potuit; sanguinem ore rejectabant miseri, dum animam ipsam ejicerent; neque centesimum ex malo revaluisse tradunt veteres **).

Anno 1367 tertia numero sub *Carolo* IV. pestilentia, mense Augusti in Bohemia grassari coepit. Antecessit in Quadragesima lunae eclipsis, quae ad tres horas duravisse scribitur ***); quae anno 1368 ad medium Augusti mensem in urbibus Pragensibus coepit saevire ****).

---

*) Ex Hágeco Lupacius X. Septemb. Adolph Redel. l. c.
**) Hágek edit. germ. 597. Hammerschmied pród. glor. Prag p. 669. Balbin ex M. S. C. Epitom. p. 369 et 382.
***) Lupacius XIII. August. Hammerschmied prodr. glor. Prag. p. 669.
****) Lupacius XV. Febr.

Anno 1369 ex Austria morbus exitialis in Bohemiam delatus est, qui primo diu circa Novodomum (Neuhaus) moratus, postea vero Pragam Bohemiamque totam pervagatus est, atque intra triginta dies ita increvit, ut in singulis parochiis quotidie decem circiter homines vitam finirent. *Joannes*, Archiepiscopus Pragensis, existimans, hocce flagellum a Deo, hominum peccatis irascente, esse missum, preces, jejunia et pompas religiosas promulgari et institui curavit; quae quum magna cum devotione a Pragensibus fuissent peracta, pestis brevi componebatur *).

Anno 1373 die Dominica, secunda post diem cinerum sacrorum, tanta erat Vetero-Pragae inundatio, ut homines per forum pomarium navigantes, (na owocném trhu), caperent pisces. Hoc quoque anno magna in Bohemia erat annonae caritas et panis penuria. Famem, ut plurimum fieri solet, pestis excepit, qua multi homines perierunt **).

Anno 1379 coorta est in Bohemorum regno magna mortalitas, hominibusque adparuerunt sub variarum bestiarum specie spectra, quorum adspectu multi horrore perfusi animam relinquebant. In triurbe Pragensi domus plures continuatis funeribus vacuae factae sunt ***).

Anno 1380, quinto post Coronationem *Wenceslai* VI. (Caroli IV. filii) pestis saevissima Bohemiam populata est, duravitque a mense Majo ad exitum usque Octobris. Funerata per hoc tempus Pragae in St. *Stephani* majoris

---

*) Hágek edit. boh. fol. 340, germ. p. 609. Bečkowský p. 580. Hammerschmied prod. glor. Prag. p. 668. Adolph Nedel l. c.

**) Ex Cuthen. Weleslawjn XIII. Martii. Hammerschmied Prod. glor. Prag. p. 669.

***) Hágek edit. bohem. fol. 352, germ. p. 624. Adolph Nedel. l. c.

parochia hominum tria millia et quinquaginta. Emersit eo quoque anno maxima murium copia, qui enatas segetes prope omnes consumebant ita, ut nihil superesset, quod meteretur; absumtis frugibus gramina ipsa devorando vastant. Eos mures nonnulli opinati sunt ex aëre infecto esse prognatos *).

Saeculo XV.

Pestis invasit anno 1415 Viennam et Neostadium; anno 1418 Italiam, 1421 Neapolin; anno 1425 Vindobonam, 1426 Poloniam et Borussiam, 1428 Brixiam Venetorum, 1438 Venetiis, 1440 Basileam, ubi tunc celebrabatur Concilium; 1444 omnem terrarum orbem, 1450 universam fere Italiam, Germaniam, Poloniam; Galliam et Hispaniam, 1456 Poloniam, 1453 Erfordiam in Thuringia, 1466 Lutetiam Parisiorum, Poloniae et Russiae rubrae provincias, 1471 Italiam, 1472 Cracoviam, 1479 universam fere Italiam, 1480 Italiam, Vindobonam, 1482 in Polonia inprimis Cracoviam, sequenti annoprovincias majoris Poloniae, 1485 Italiam; sudor anglicus 1486 Angliam; 1489 pestis Angliam; 1495 Austriam inferiorem; 1496 Cracoviam et majorem Poloniam, 1500 Italiam, Germaniam et omnem fere terrarum orbem **).

Anno 1402 solem deliquium passum, consecuta pestis in Bohemia atque multas regiones pervagata ***)

---

*) Aen. Sylvius hist. bohem. Cap. XXXIV. p. 140. Lupacius IV. Maji. Weleslawjn IV. Maji, Paprocký Diadochus, lib. I. p. 150. Beczkowský p. 603. Hammerschmied Prodrom. glor. Prag. p. 669. Balbin Epitome. p. 392. Gel. Dobner ex Bartosii de Drahonic Chronic.

**) Paul Adami l. c. 166—173. Joan. Lernet l. c. p. 12—15. H. J. Fenger l. c.

***) Lupacius IV. Junii.

Anno 1414 mense Majo pestilentia afflixit Bohemiam. Labobarant tussi, aliisque inde enatis morbis, item apostematibus, sive ut vulgo bubonibus. Viguit inter caeteros in tractu potissimum Wodnanensi et Bodchovicensi, ac a Majo usque ad Decembrem per semestre duravit *).

Anno 1416 die 23. Februarii sub auroram quibusdam in locis Bohemiae pluit nive sanguinea, latericiique coloris, quo ad altitudinem unius digiti terra fuit adoperta: cruentum coeli, imo Dei judicium, tempestatum motuumque bellicorum, quae non multo post, maxima sanguinis humani profusione, exundarunt in Bohemia, plurimisque prope continenter durarunt annis. *Cingari* quoque, colluvies hominum malefica, impura, ferox, eodem anno pervagantur Bohemiam, et pestilentia eidem regno incumbente **).

Anno 1424 lue contagiosa violenter grassante potissimum in urbibus Pragensibus, sunt in ecclesia publica una cum jejunio institutae ad placandum Numen divinum praeces ***).

Anno 1421 initio Septembris i. e. circa festum natale beatae *Mariae* virginis, pestis Pragae iterum grassari coepit. Et hic et alter proxime sequens annus fuerant propter influentias coelestes, pestilentiales, ut habet quoddam M. S. ****).

Anno 1424 sub imperio Regis *Sigismundi* lues pestilentialis Pragae et circa Pragam grassabatur. Eo tempore *Joannes a Trocnowa*, alias *Žižka a calice*, a pacificatione, quam non multo ante Pragensibus constituit, ex Bohemia comitatus Pragensium comitio in Moraviam,

---

*) Lupacius III. Maji.

**) Ex M. S. Lupacius XXIII. April.

***) Lupacius XXVIII. Augusti.

****) Ex Wenceesl. Koranda Lupacius VII. Septemb.

indeque Hungariam ad *Sigismundum* subditos infestandos suscipere expeditionem decrevit. Die 6. Octobris castra posuit ad Přibislaviam, urbemque hanc et arcem obsedit. Ast non diu hic morabatur: nam prehensus peste, quae tunc temporis et in illius propagabatur exercitu, die 11. Octobris obiit. Corpus defuncti humatum honorifice primum in sacello cognominato: Undecim millia Virginum *Reginae-Hradicii* ad Albin et Orlizam; deportatum tamen inde est *Czaslawiam* et in majori hujus urbis ecclesia sepultum. Annum causamque mortis famosi hujus viri poëta quidam tunc vivens sequenti chronographico Bohomico et Latino idiomate concinnato, adnotare conatus est:

Ne ſyLa nepřáteLſká, aLe rána gIzLIWého prIſtIře,
PřeMohLa a zabILa Iána ŽIžkV, ſtateCného rItIře.

ŽIzCa, potens beLLo, heros aCer, hostIbVs horror,
Non aCIe fVsVs, peste pereMptVs obIt *).

Anno 1425 gravissima pestis Bohemiam universam hoc anno percurrit vastando; obiit in arce sua *Weless*, *Czenko Wartenburgensius* militaribus factis clarus Dux, arcis olim Pragensis praefectus. Nissensis seu Wratislaviensis Episcopus cum exercitu Silesiorum hoc anno Bohemiam ad Nachodium et Wissenburgum intravit, ubique fame et igne grassatus. Agrestes confugēre Nachodium, sed cum pestilentia exarsisset inter obsessos, mille et quingenti periēre ulceribus, ut sua terra mortuis deesse videretur **).

---

*) Beczkowský p. 717. Hágek edit. germ. p. 725. Lupacius Vet. XI. Octob. Weleslawjn XXVI. Junii. Adolph Redel. l. c.

**) Balbin ex M. S. Regino-Hradec. Epitome p. 466.

Anno 1431 fuit totius corporis solaris deliquium. Consecuta fames et pestis et Cometes *).

Anno 1433 ante et post festum St. Wenceslai apparuit alius Cometes, sed non ita lucidus ut prior, et ad tres hebdomadas conspiciebatur. Consecuta est eum mortalium pestilentia Pragae et in Bohemia, atque strages equorum quibusdam in locis **).

Anno 1438 mense Majo visus est in Bohemia Cometes, et 3. Februarii columna sanguinea hastae adinstar ex sole oriente sursum ascendens. Subsecuta est pestis ab Augusto ad medium Octobris vigens, et in capita hominum saeviens; qua eo anno sublati multi Baronum et Nobilium sunt, viri illustres, item Magister *Christannus*, seu *Christianus*, patria Prachaticensis, natione Bohemus, vir in disciplinis mathematicis inque per medicis ea tempora excellens discessit, post et *Albrechtus*, Rex Hungariae et Bohemiae. Lues haec ad mensem Septembrem pervagabat Bohemiam, quae ultra semestre durasse scribitur; sublatus tum morte inter caeteros est *Ambrosius*, praedicator ecclesiae Hradecensis ad Albim ***).

Anno 1439 diebus Pentecostalibus adparuit magnus in coelo Cometa, et circa festum St. *Laurentii* exorta est in Bohemia et Moravia pestis, tredecim hebdomades a dimidio Junio ad initium usque Novembris, hinc inde et longius durans. Mortui sunt plerumque nobiles, equites et Wladicae utriusque sexus, juvenes et senes, ex plebejis paucissimi. Zderazii in regia *Wenceslai*, *Caroli* IV. filii, obiit *Philibertus*, Praesul Con-

---

*) Lupacius XII. Febr.

**) Lupacius IV. Octob. Gelas. Dobner ex Chronico Bartosii a Drahonic Tom. I. p. 182.

***) Lupacius XXIII. Maji XIX. Junii XXVII. Septemb. XIII. Octob. Weleslawjn III. Februarii.

stanticensis et Pragensis ecclesiae antistes, qui sacras ordines sub utraque, ut vocant, in arce Pragensi conferebat, et *Barbaram*, *Sigismundi* Imperatoris conjugem, in Basilica arcis Pragensis inauguravit Reginam Bohemiae. Ejus obitus fenestram, sicuti dicitur, aperuit morbo populari Autor Chronici Regino-Hradecens, qui tunc vixit, scribit: „A pluribus retro annis non fuisse „auditum, ut tot Barones, Nobiles, aliique viri egregii „utriusque ordinis, Ecclesiastici et politici, inter hoc „breve anni spatium tam praepronere obiissent, sicuti „anno isto, quo immites Parcae quasi in illos praecipue „conspirasse videbantur.“ Pragae de die ultra centum peragebantur funera, et perierunt hac sola in urbe ultra 11,000. Id autem peculiare habebat haec lues, quod quilibet; quemcumque prehenderat, somno profundissimo, per tria nycthemena durante, non interrupto, correptus fuerit, et evigilans subito ad mortem laboravit. Pestis haec ubique *Pestis magna* (weliký mor) vocabatur, dequa vix non omnes historiographi mentionem faciunt *).

Anno 1443 in Novo-Domo, quod est procerum a Novo-Domo, gentis illustris oppidum totoque eo districtu grassabatur pestilentia. Anno subsequente, Mense Decembri, visus est cometes tribus cum caudis ad meridiem. In Bohemia saevit lues contagiosa **).

Anno 1445 post festum nativitatis Mariae, ex contagione aëris morbus popularis ortus, coepit grassari; primum in districtu Reginae-Hradicensi, inde in alias

---

*) Lupacius XII. Junii. Weleslawjn ex Chron. Mansfed. M. S. IV. April. Beczkowský p. 786. Pessina pag. 616. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 669.

**) Ex M. S. Paul. Lucini Lupacius XXIII. Decembr. et 1444. XXIV. Decembr.

atque alias Bohemiae regiones proserpebat. Exstincta sunt in hác lue aliquot hominum millia, maxime vero per bubones et dolores pestilentiales. Eam pestilentiam antegressus est Cometes, tempore solstitii visus *).

Anno 1448 bella in Germania, Gallia, Anglia, Flandria, Borussia, Pannonia, Apulia, Italia viguerunt; *Machomedes* Graecis ingentia damna cum bello intulit; pestis biennio **)

Anno 1451 ineunte vere lues contagiosa et quidem gravis in homines primum Pragae, grassari coepit, pervagataque est oppidatim totum regnum Bohemiae, nec minus et Moraviam atque Austriam, tum et Poloniam. In triurbe Pragensi saepe saepius uno eodemque die ducenti et supra sepeliendi erant. *Melnicii Barbara*, *Sigismundi* Romanorum Imperatoris, Hungariae atque Bohemiae Regis uxor, mortua est. Sepulta Pragae in divi *Viti* templo cathedrali, cum grassata fuisset per id tempus Pragae pestilentia, et continuata circa circum in regno Bohemiae, item in Moravia etc. ***).

Anno 1456 die 13. Junii adparuit cometes ad septemtrionem, subque integras noctes, usque ad orientem solem, per totum Junium conspiciebatur. Autumnus et hiems valde humida; pestilentia annonaeque caritas in Bohemia sunt secutae. Mense Augusto ingens vis ventorum, terrae motus: praenuntia obitus *Ladislai*, Hungariae, Bohemiaeque Regis. Cometae enim apparitionem

---

*) Lupacius IX. Septemb. Weleslawjn ex Hágek et Chron. Mansfeld IX. Septembr. Hammerschmied Prodr. glor. Prag.

**) Lupacius XXIX. August.

***) Hágek edit. germ. p. 774. Lupacius ex M. S. XXIII. Febr. XI. Junii. Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 669. Adolph Redel. l. c.

Magister mathemat. Academiae Pragensis grave quidquam Bohemiae potissimum, portendere praedixit, addiditque verendum esse, ne *Ladislaus*, Bohemiae Rex inopinata simul atque insolita quapiam morte e medio tolleretur *).

Anno 1457 *Ladislaus Rex Bohemiae* cum jam accederet ad annum aetatis duodevicesimum, suadentibus utriusque regni et Provinciarum iisdem adnexarum proceribus, ad ducendam conjugem primo quoque tempore animum adjecit, ut hoc modo susceptis liberis regnis tam sibi tam posteris stabiliendis prospiceretur. Delecta igitur est, *Magdalena*, *Caroli VII*, Galliarum Regis filia, virgo cum regii sanguinis excellentia, tum elegantia formae et moribus praestans. Dum Pragae maximis sumtibus apparantur nuptiae regales, dum in Galliam legatio pro sponsa mittitur splendidissima: ecce, *Ladislaus* Rex, florentissimus aetate formaque juvenis, 23. Decembris, qui fuit divo *Clementi* sacer, hora 23. Pragae in regia sua e vita emigrat, cum regnaret in Bohemia annos quatuor. De ejus obitu quatuor ab historicis sive sententiae sive opiniones recensentur. Alii enim veneno, ipsi ab ejus adversariis dato, exstinctum; inter hos *Aen. Sylvius* **) haec refert: »Medici Teutones, »quorum potissima corporis cura fuit, in Austriam re»versi, palam dixere: quamprimum aegrotare Rex coe»pisset, se vocatos manifesta mortis ac veneni signa com»prehendisse, neque ausos in aliena terra manifestare, »quae viderant, timuisse potentiam eorum, quorum sce»lere Rex periisset, Regi clam aperuisse omnia: respon»disse illum, non ignorare toxicum datum, silentium

*) Lupacius XIII. Junii et V. Junii.

**) Histor. Bohem. Cap. I. XXI. p. 205.

»imperasse, ne regiae morti suam adjicerent.« Alii, a *Georg. Podiebradio* et *Rokyzano* per insidias clam interemtum; de quo et cantilena quaedam, per id tempus Germanico sermone scripta, etiam nunc circumfertur. In balneo alii ei a foemina quadam nobili, ad quam hic aliquando allusisse fertur, malum exhibitum et per medium cultello divisum, quod veneno tinctum erat. Atque id forte a Legatis Bohemicis, dum in Galliis agerent, ibidem fuit vulgatum. Alii, pestilentia correptum, duobus nimirum bubonibus in inguine erumpentibus, e vita excessisse, produnt. Melioris notae scriptores omnes, quales sunt: *Cochleus*, *Hágekius*, *Kuthènus*, *Theobaldus*, *Nicolaus Listius*, Regis defuncti Secretarius, *Joann. Thuroezius*, *Procop. de Rabstein*, Caesaris tunc Concellarius, qui sub id tempus Pragam venerat, *M. Simon de Slaná* sive *Slanaeus*, vir fide et integritate perspectus, qui et eo ipso tempore vixit in aula Regia omnibus prope Proceribus erat bene natus atque familiaris, et iis, quae tum, aut quando gerebantur, testis oculatus sine dubio interfuit, et plures alii peste *exstinctum Regem* asserunt. His accedit autor anonymus, coaevus quoque et testis oculatus, qui infirmitatem et mortem Regis ita narrat: „Die Dominica post festum *St.* „*Elisabethae* i. e. 20. Novembris, mane Rex perrexit „ad arcem, ubi post peracta divina officia in templo St. „Wenceslai levavit de fonte *Zdenconis a Sternberg*, „tum absentis, filium recens natum, cui nomen Ladislai „jussit imponi. Vesperi dum reverteretur ad aulam re„giam, coepit laborare dolore capitis, ex quo noctem „fere insomnem duxit; die vero sequenti eruperunt in „ejus sinu duo venenati carbunculi (pestis enim tum su„bito exorta Pragae grassabatur potenter, et bonus Rex „promiscue omnes admittebat ad se) nec tamen revelare „voluit medicis suis, pudibundus adolescens, dolorem

„tantum capitis et subinde tormina ventriculi ostendebat.
„Medici omnem adhibuere operam, ut minuerent dolo-
„rem, jam per sudorem, jam per vomitum, jam per
„medicamenta lenitiva purgantiaque, ultimo etiam per
„missionem venae; sed in vanum. Adhuc die 22. sede-
„rat pro tribunali componens litem *Podiebradium* inter
„et *Joannem de Cymburgo* (aliis de Czerná hora) Mora-
„vum, in causa praecellentiae et nobilitatis, quod unus
„prae altero se nobiliorem genere et ortu assereret,
„magna contentione agitatam; fuitque totus tristis; noc-
„tu deinde deterius habuit, et die sequenti tandem pla-
„cide obdormivit in Domino. Luctus ubique fuit et plo-
„ratus ingens, qualis non erat ex morte regis ab obitu
„*Caroli IV*." Ita ille. Describit deinde pompam funeris,
sed quam recensere longum foret *).

Anno 1462, *Georgio* regnante, die Dominica post festum Regum de Saba, magnus conspiciebatur Cometa, et visus est fere per quinque hebdomades. Annus praesens satis quietus fuit; sequenti saevissima pestis in Bohemia regnabat et coeli ariditas tribus fere annis persistens; gliscebant etiam odia, quae in apertum bellum altero abtunc anno erupere **).

Anno 1464 saevissima pestis in Bohemia, praesertim Pragae, regnabat, et mortes frequentes notabantur ***).

Annus 1471 admodum calidus erat, ita ut circa festum annuntiationis *Mariae* arbores hinc inde florere inciperent; dein coeli siccitas magna et aestus insolitus

*) Pessina p. 681. Lupacius XXII. et XXV. Novemb.

**) Weleslawjn VII. Januar. Balbin ex M. S. Regino-hrad. Epitom. p. 529.

***) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 669. Adolph Redel l. c.

perstitit. A Pentecoste usque ad festum *St. Aegidii* pluvia nulla; inde exsiccati sunt fluvii et rivi, et aqua fontana hinc inde nummis vendebatur. Aestum excepit frigus hiemale validissimum et atrocissimum; grassabatur quoque pestis hoc anno per Bohemiam *).

Anno 1473 siccitas magna erat in Bohemia; nam per quatuor fere menses nullae cadebant pluviae, aestusque ingens, quo multi exsiccati sunt rivi, aquae in lacubus et pisciniis corruptae sunt; inde foetor perniciosus exsurgebat, ex quo tota athmosphaera pestiferam acquisivit corruptelam. Rex *Wladislaus IV.* ob aërem Pragae corruptum, in arcem suam, quae ab antiquissimis temporibus *Krziwoklad* (Pürglitz) vocabatur, se contulit, ubi tam diu morabatur, donec ingruente autumno pestis saevire cessasset **).

Anno 1477 pestis (ac fortasse in tot sacrilegiorum ac perjuriorum poenam) tantum grassata est, ut triginta millia capitum Pragae sublata narrentur ***).

Anno 1483 ad medium Junium pestis magna in Bohemia exorta est, et Pragae praeprimis crudelem in modum saeviit. In nonnullis parochiis de die plus quam 30 hominum cadavera sepeliebantur. Perstitit usque ad festum *St. Mathiae*, et funerata sunt per id tempus Pragae ad triginta cujuslibet aetatis hominum millia. Initio Octobris lues grassabatur in quaedam Bohemiae oppida, utpote *Chrudimum*, *Reginae-Hradecium*, *Coloniam ad Albim*, *Cutenbergam*, per eadem tempora et in distric-

*) Weleslawjn ex Chronic Mansfeld XXV. Martii.

**) Hágek edit. germ. p. 811. Beczkowský p. 941. Paprocký Diadochus lib. I. p. 180. Hammerschmied prodr. glor. Prag. 669.

***) Balbin ex M. S. Nicolai de Prachnian. Epitome p. 566.

tu *Plznensi* vigebat, *Plznae* videlicet, *Tustae*, *Mysnae* etc. Obiit tum et *Nicolaus* cognomine *Camelus*, pugil strenuus et robustus, Plznae sepultus. *Cromerus* itinerarium hujus pestis ita describit: Invasisse ex Hungaria Cracoviam, auctamque minorem Poloniam pervasisse, dein Massoviam, Prussiam, Bohemiam. Eo tempore Rex *Wladislaus*, salubriorem quaerens athmosphaeram *Trebiczium* in Moravia se contulit, morans hic a 1. Junii usque ad medium Novembrem et adolescens quum esset, venatione aliisque ludibriis se occupavit *).

Anno 1484 in lucem prodiit: *Sigism. Albici*, medici aulici regis *Wenceslai*, in regno Bohemiae Physici, post Archiepiscopi Pragensis, Regimen pestilentiae. Lipsiae, 1484. 4to.

Anno 1488 sub rege *Wladislao IV.* tempore saturnali frigus erat ingens, nives profundissimae tegebant humum; et quum aquae in rivis aliisque minoribus fluviis ad fundum usque fuissent congelatae, frumentum molari non potuerat. Quare per totam Bohemiam vehemens orta est fames, et postea ingruente aestate quoque pestis. Erat dein siccitas magna et aestus intolerabilis **).

Anno 1493 fuit eclipsis solis, qui obscuratus a 20. ad 22 horam stetit. Secutus morbus, quem vulgo vocant Gallicum, vitae impure actae vindex. Bohemiam quoque invasit pestilentia ut et Misniam ***).

---

*) Hágek edit. germ. p. 823. Lupac. XV. et XVII. Junii. XXIII. Augusti. II. Octobr. Weleslawjn XV. Junii. Beczkowský p. 956. Paprocký Diadoch. lib. IV. p. 108. Hammerschmied l. c. p. 669. Adolph Redel l. c.

**) Hágek edit. germ. p. 828. Beczkowský p. 961. Hammerschmied l. c.

***) Lupacius IX. Octob. Weleslawjn X. Octobr. Hammerschmied l. c.

Anno 1495 tanta fuit fluviorum ac praecipue Moldavae fluminis exundatio, ut firmissimus pons Pragensis (eo in loco, ubi nunc *Christi* crucifixi statuam honoramus) rumperetur. Post magnam annonae difficultatem, qua durante pistores Pragenses libram panis secalini non nisi grossi Misnensis valore venditare contendebant, exorta est pestilentia, quae sub aestate per multas Bohemiae urbes et oppida fuit grassata, et una in urbe (*Budvicii*) 3472 mortales absumsit. Mense Septembri Pragam invadit atque corripit. Bohemi ditiores casulas sibi construxerant in silvis, habitantes in illis, usque dum evanuisset pestis *).

Saeculo XVI.

Pestis grassata est anno 1504, 1506 et 1507 in pluribus regionibus, 1508 et 1509 Cracoviae; 1510 in Gallia, praecipue Lutetiae; 1511 Constantinopoli et pluribus in locis, 1512 in Podolia, 1513—1516 in provinciis majoris Poloniae; 1521 Vindobonae; 1522—1524 in multis Italiae locis, praesertim Romae; 1525 circa ostia Padi, 1526 Vindobonae, Norimbergae, Augustae Videlicorum et Ulmae; 1528 in tota fere Italia, Vindobonae sudor Anglicus; 1529—1531 pestis in Hungaria et Germania, in Lusitania, imprimis Ulyssiponte; 1540 in Silesia; 1542 Constantinopoli inter milites exercitus Caesarei et copiarum Imperii in expeditione Hungarica adversus Turcas, et Vindobonae, 1547 Constantinopoli, Neapoli, Tridenti; 1548 Cracoviae, Mariaeburgae et Gedani; 1552 in Hungaria, Austria aliisque Germaniae par-

---

*) Hágek edit. german. p. 833. Lupacius XXIV. Sept. XXIII. Octob. Weleslawjn XXI. Julii. Bečkowský p. 969. Adolph Redel l. c. Balbin ex M. S. Budwicensi Epit. p. 568.

tibus et in Italia; 1553 in Samogitia et Lithuania, in Gallia Narbonensi; 1554 in Hungaria, Transylvania et vicinis regionibus; 1555 in agro Erbacensi ad Franconiam pertinenti, Patavii; 1556 Venetiis, 1559 in Belgio foederato; 1560 in Gallia, praesertim Parisiis; 1563 Londini, eodem anno et 1564 Gedani in Polonia, in Sabaudia et confinia Gallorum et Helvetiae, in primis Basileae, nec non Londini; 1565 Hamburgi; 1566 Lugduni in Gallia, Vincariae (Weimar) in Thuringia; 1568 alicubi locorum in Gallia; 1570 Tridenti, Veronae, Venetiis, Mediolani, imo in tota fere Italia, mense Augusto Vindobonae; 1571—1572 in Polonia praesertim Pultaviae, Varsovia et Knyszyni, Cremnitii et alibi in regione montana Hungariae; 1572 in Hungaria, Italia et universa Polonia; 1574 Fribergae in Misnia; 1575 in Belgio, Mantuae, Venetiis, Mediolani; 1576 et 1577 Mediolani, Batavi, Venetiis et praecipue in Italia: 1581 in Aegypto; 1582 in Principatu Anhaltino; 1583 Vindobonae; 1586 in Hungaria, Austria, imprimis Vindobonae aliisque regionibus; 1587 usque ad annum 1591 in Polonia et Gedani exordium fecit; 1590 et 1591 Romae et Vindobonae; 1593 in Anglia; 1596 Hamburgi; 1598 Ulyssiporte; ab hoc usque ad annum 1606 in variis Poloniae terris *)

Anno 1506 Cometa per 25. dies fulsit ad solem occidentem. Tempus tum erat siccitate et squalore insigne. Subsecuta est mors *Annae Candalae*, Hungariae et Bo-

---

*) Paul Adami Biblioth. loimic. p. 117—165. Joann. Lernet dissert. de peste p. 15—22. H. J. Fenger Historia pestilentiarum Vindobonens.

hemiae reginae, Wladislai regis conjugis; ad haec lues contagiosa, Austriam Misniamque pervagata grassabatur *).

Anno 1507 mense Junio pestilentia invaluit per Bohemiam et Moraviam, duravitque ad exitum Januarii usque. Invasit vero haec lues homines praeprimis juniores et infantes. Multi tum et Pragae et alibi per Bohemiam eadem sunt absumti, inter hos et *Philippus*, Episcopus Sidoniensis Kuttenbergae, et presbyter ecclesiasticus *Joannes Bechynka* **).

Anno 1508 Pragae fuit pestis, a festo St. Trinitatis usque in adventum duravit ***).

Anno 1520 ingens pestis in Bohemia praesertim Pragae, saeviit; incepit post festum St. *Georgii* et duravit fere per annum. Exstincti ea lue plurimi sunt viri, pietate virtute eruditaque doctrina praestantes; inter hos venerabilis presbyter *Joannes*, cognomento *Podusska*, septimo die, postquam in morbum lethalem incidisset, apostemate percussus; *Wenceslaus*, patria *Rozdialovinus*, Academiae Pragensis magister, professor post, et praepositus domus Carolinae; Magist. *Paulus Hlawsa*, cognomento gentili *Przibram*, patria Pragensis, ejusdem Academiae Profess. publ. Mathematicus excellens; *Victorinus Cornelius a Wssehrd*, patria Chrudimensis, Academiae Pragensis publ. Professor, post artium facultatis Decanus, deinceps et ad tabulas inclyti regni Bohemiae Notarius; Mag. *Wenceslaus*, cognomento *Lobatsky*; Mag. *Wenceslaus Kopek*; Magister *Wenceslaus Zatecensis* insignis in Academia Pragensi Mathematicus ****).

---

*) Lupacius XI. April.

**) Lupacius XVI et XXIV. August, XIX. Oct. Weleslawjn XVI. August.

***) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. 670.

****) Hágek adit. german. p. 838. Lupacius XXIII. April,

Anno 1522 mense Octobri terrificus Cometes ad occidentalem tractum a multis visus est. Secutae fames, pestilentia, aliaeque plagae et flagra Dei irati complura *).

Anno 1529 erat in Bohemia pestis crudelissima, quae circa festum Sti. Joannis Baptistae inchoavit, ad finem usque anni perdurans **)

Anno 1530 placide ex hac vita emigravit, pestilenti lue exstinctus Mag. *Laurentius Traebonius*, Professor et Rector universitatis Pragensis, denique Consistorii Pragensis sub utraque communicantium in spiritualibus Administrator ***).

Anno 1531 mense Junio in urbe Zatecio, quod decem millibus passuum distat a Praga, pestilentia gravis saevire coepit ****).

Anno 1542 mense Augusti pestis magna et valida Pragae aliisque in Bohemiae locis grassari coepit, duravitque ad finem anni usque, Propterea Rex *Ferdinandus* I. Pragam venire noluit. Ea lue sublati tum inter ceteros sunt: nobilis et doctus vir *Joannes Orpheus a Choterina* Zatecensis, Prof. Academiae Pragensis; Mag. *Joannes Carolus* Zlaticensis, Academiae Pragens. Professor, Senatusque Novae Pragae protonotarius; *Joannes et Theodorus Lupacii*, *Procopii Lupacii* fratres †).

Anno 1544 ex praecedente horrida solis et triplici lunae ecclypsi supervenēre multi et varii morbi super

---

XXIII. Junii, I. Julii, VIII. IX. et XXI. Septemb. V. Oct. XXV. Nov. Hammerschmied Prod. glor. Prag. p. 670.

*) Lupacius XI. Septemb.

**) Bečkowský. p. 1005.

***) Lupacius VII. Junii.

****) Lupacius XXIV. Junii.

†) Lupacius XI. Septemb. 1. Octobr. Weleslawjn XXIX. Augusti. Hammerschmied Prod. glor. Prag pag. 671.

homines et pecora. Multoties homines pestilenti lue correpti, repente ceciderunt et axanimes facti sunt *).

Anno 1553 *Joannes Worzechowsky*, Bohemus, tractatum edidit de peste. Norimbergae 12. **).

Anno 1554 mense Julio morbus popularis Pragae grassando in dies magis ac magis gliscebat. Sublati eo tempore sunt multi et cives et consules viri. Hanc pestem *Petr. Sibyllenus* ab aquarum corruptione et putrefactione derivat, dicens: idem anno 1554 in fluvio magno Pragensi accidisse, cujus corruptionem pestis sequebatur ***).

Anno 1555 lue pestilentiali exstinctus est in domo *Caroli* IV. (vulgo Collegio magno) Mag. *Sebastianus Aerichalcus*, natione Bohemus, patria Praesticenus, publicus in Academia professor et domus Carolinae Senior ****). Eodem anno magistratus civitatis *Vallis Joachimicae* instituit Diaconum seniorem, qui tempore morbi epidemici aegrotos visitaret et in nosocomio infirmos curaret *****) Pestis etiam Zatezii saeviit, qua Mag. *Nicolaus Artemisius*, civis et senator primarius exstinctus est, et ubi anno 1556 grassari desiit ******).

Hujus luis *Pet. Sibyllenus* hanc refert causam: Anno 1554 in urbibus metallicis Bohemiae (ex terrae motu) aedes et conclavia movebantur et concutiebantur; anno postea 1555 sequebatur Schlaccavaldae, in Valle Joachimica et in vicinis nonnullis locis pestis satis atrox, ratio;

---

*) Hammerschmied Prod. glor. Prag. pag. 671.

**) Tentamen historiae Medicinae in Bohemia 1814. 8. p. 39.

***) Lupacius XXVI. Julii, Hammerschmied prod. gl. Prag. pag. 672.

****) In libro ad annum 1564. citando fol 5.

*****) Lupacius XX. Novembr.

******) Joan. Rossinus in quaerela urbis Zatecenae.

quod spiritus, qui perpetua terrarum nocte torpescit, diutino situ pestilens includitur, per terrae motum emissus purum hunc aërem polluit et corrumpit, late vitium suum spargens *),

Anno 1562 *Maximiliano* Rege (*Ferdinandi* I. filio) statim post decollationem *St. Joannis Baptistae* incepit Pragae grassari pestis, et duravit usque ad festa Natalitia adeo, ut nulla prope Pragae domus sine funere esset **).

Anno 1564 in lucem prodiit *Petri Sibylleni* Egeranae Reipublicae Physici *de peste liber absolutissimus*. Pragae ex officina *Georgii Melantrichii ab Aventino*. 1564. 4. fol. 71. in cujus praefatione, a *Petr. Andrea Mathiolo* conscripta, comperimus; eo tempore pestim jam in plerisque Germaniae et Galliae urbibus inclementissime saeviisse et innumeros homines demisisse ad Manes. In hocce opere prima in Bohemia, ni fallor, occurrunt politiae medicae contra pestem vestigia; dicit enim ***): In magnis urbibus *Ministri verbi* alendi sunt, qui infectos in verbo instituant, consolentur, atque coenam Domini exhibeant. Deinde *domus publica* constituenda, in quam infecti omnis generis homines transferantur, et victu et medicamentis a medicis conscriptis, per idoneos et ordinatos curentur, ibique mensem unum, ne alios loci aut aëris mutatione aut vestium contactu inficiant, remaneant, qualis est Norimbergae domus Lazaret, a *Lazaro* nomen habens. Horum vestes et lectisternia neque in publico lavari, neque in aedibus exponi debent, sed aut abjicienda, aut in extrema alicujus magni fluminis ora, ab

*) In libro mox citando pag. citata.

**) Weleslawjn XXIX. Augusti Hammerschmied Prod. gl. Prag. pag. 672. Balbin Epit. pag. 596.

***) Fol. 37.

anu aliqua, quae praeservativis prius usa fuerit, purganda sunt. Ubi vero in communibus urbibus publica domus famulis et famulabus et aliis miseris peregrinis hominibus, et artificum ministris non esset exposita, Senatus interest, ut tum pro suis civibus eorumque uxoribus, tum pro famulis et famulabus personas eligat satis idoneas et huic officio aptas, sive ex ptochodochiis, quae publicis elemosinis aluntur, vel ex domesticis infimae sortis hominibus, qui infectis sua opera, studio et cura succurrant, cibos coquant, potumque et medicamenta quotidie ministrent, ne hac externa opera et administratione destituti, fame et penuria curae periisse videantnr, quae res homicidii species recte judicatur. Aliae quoque personae probae subornandae sunt, quae funera citra multorum hominum praesentiam et curent et deducant; proinde haud consultum est, artifices omnes sui artificii funera deducere, multo minus ea gestare, namque hac ratione contagium pestis constringere et non dilatare videmur. — In adpendice operis Dr. *Mathiolus* varia antidota publici juris facit, et praeprimis compositum (cujus ingrediens praecipuum est Hypericum, praeparatio autem complicatissima) commendat, ad praeservandos a pestilentia homines, quo etiam curantur.

Anno 1568 pestis tam Pragae quam in Silesia grassabatur, ob quam Camera Bohemica, et regni Locumtenentes Praga decesserunt Kuttenbergam *). Die 2. Augusti omnes Pragae claudebantur scholae. Medicus, tunc praxin exercens, *Adamus Huber*, ob eruditionem et humanitatem laudatur. Eodem anno in lucem prodiit: *Joannis Garcai tractatus de peste, addita epistola eodem de argumento Mag. Albici.* Typis excussus anno 1568.

---

*) Hammerschmied Prod. gl. Prag. pag. 672.

Anno 1571 tanta erat in Bohemia annonae caritas, et famis calamitas, ut ob frumenti inopiam, cerevisiae coctio interdiceretur, pestisque subsecuta fuerit *).

Anno 1582 post magnam inundationem pestis, postea magna dicta, a fine Junii in Novembrem usque saeviens, Bohemiam invasit, qua Pragae duntaxat ad 20,000 hominum exstincta sunt. Non pauci etiam Wissehradii, Micropragae et Hradcžani utriusque sexus, parte majore juventus aetasque media obiēre. Omnes Regni ordines Pragam deliquerunt; universitas Pilsnam interim transferebatur, ubi etiam octo juvenes eruditi doctoris philosophici laurea sunt decorati, ubi tamen lapsis mensibus duobus pestis quoque prorupit. In area templi St. *Stephani* majoris, quotidie quinquaginta sepeliebantur et summatim Pragae funere efferebantur 13,262. Inter hos speciatim nominantur: *Paulus Holaubek* AA. LL. *Baccalaureus*, civis antiquae Pragae ibidemque Dom. Cons. servus anno aetatis 35; *Thomas Hussinecius*, patria Wodnianus, civis Pragensis, Medicinae Doctor celebris, in medendo non infelix, pietate, virtute, doctrina, et humanitate praestans, in cujus epitaphio haec leguntur:

Dum fera pestilitas Pragam grassatur in omnem,
Sternitur atque gravi plurima turba lue,
Hic vigil atque suo sudans in munere multos
Arte Machonica dum levat, ipse cadit.

Saeviit et haec pestis *Litomericii*, *Brixii*, *Lunae*, *Kadani*, *Rakonitii*, *Slanae*, *Zluticii*: *Berauni*, *Comotavii*, *Raudnitii*, *Zacae* (ubi quinque literati cives et Pragensis Academiae Magistri exstincti sunt: *Martinus Homilius* a Prochawa Primas; duo fratres *Strialii*, *Joannes et Jacobus a Pomnauss*, *Jacobus Strabo*, *Georgius Sussilius* et (Rector Scholae Joann. *Andr. Se-*

---

*) Hammerschmied glor. eccl. Wissehrad. pag. 358.

delczanus), Rokysanae (ubi *Basilius Tophinus* AA. LL. Baccalaureus ibidem civis et Senator peste mortuus est. *) In civitate *Braunavia* adeo saeviit pestis haec, ut a die festo memoriae crucis erectae sacro, usque ad primum diem anni, homines mortui fuerint 477, et in ipsis annis subsequentibus ad 1585 usque, nemo ab ejus insultu fuerit tutus, et aliquot centena hominum, maxime juvenes mortem occumberent. **) De peste tractant:

Descriptio pestilentiae, quae Pragae aliisque in locis anno hoc 1582 grassabatur Autore *Joanne Selinio* Zateceno. Pragae 4.

De peste Bohem. quae grassabatur anno 1582 libri III. *Adam Matthiadae Hradisteni.* Pragae 1582. 4.

Lacrymae Joannis Rosini, conceptae supra Zatecio, peste una cum circumjacentibus aliquot civitatibus misere afflicto, addita con solatione, anno 1582 *in quo eo luis malo graviter concussa est universa fere Bohemia.* (Manuscriptum, quod in regia Bibliotheca Universitatis Pragensis asservatur. ***)

Anno 1584 pestis Brunae in Moravia saeviit, et in hac societatis Jesu provincia, in obsequio pestiferorum exstincti sunt: *P. Leonardus Corcelius*, Collegii minister; quem secutus est *P. Ambrosius*, gente Bohemus utraque lingua, Bohemica et Germanica concionem habere solitus Brunae; tertius *Ernestus Prockwitz*, Silesius nobilissimi generis, qui inter *Rudolph* Caesaris

---

*) M. S. bohemicum quod in biblioth. Pragensi prostat et cui titulus est: Diarium Rudolphi; non est paginatum. Lupac. XXI. et XXXI. Augusti XXVII. Septem. XVI. Octob. Hammerschmied, prod. gl. Prag. p. 673. Adolph Redel l. c.

**) Vide Bienenberg's Alterthümer Böhmens.

***) Faustin Procházka Mißzellanen der böhmischen und mährischen Litteratur B. I. St. I. S. 103.

honorarios pueros nuper census, majori imperatori Deo in societate servire praeoptavit. Itemque undecim alii e S. I. Brunae hac eadem contagione interemti sunt.*)

Anno 1585 pestis in Bohemia regnabat, qua commotus Caesar *Rudolphus II.*, consentientibus ordinibus Regni quatuor medicos Physicos in Bohemia constituit, quibus publicae salubritatis cura tradita et commissa est.**)

Anno 1595 et 1599 sub regimine Imperatoris *Rudolphi II.* lues pestilentialis Pragenses aliasque regni tenebat urbes, quae multa hominum millia, inter hos multos ex doctis et nobilibus aeternitati tradidit. Scholae nonnisi 2. Februar 1600 aperiebantur. E. S. I. P. *Stanislaus Wocescovius*, gente Polonus ad diem 8. Septembris Pragae dum ministerio peste laborantium occupatus indefessa constantia insudaret, et ipse concidit; *Lucas Roll* Laicus patria Almantanus, Collegii Pragae janitor, 6. Octobris eadem contagione, a P. *Stanislao*, cui servierat, contracta, exstinctus est. Litomericii saepe saepius uno eodemque die solo in loco sepulcrorum ad St. Georgium 60 hominum cadavera sepeliebantur. ***)

Saeculo XVII.

Pestis devastavit anno 1601 Varmiam, Borussiam et Livoniae terras, demum Polonorum cohortes; 1602

---

*) Balbini Miscel. P. II. l. IV. in coronide.

**) F. M. Pelzel's Geschichte der Böhmen. 4. Auflage, Theil II. Hammerschmied glor. eccl. Wissehrad p. 361.

***) Annotationes Georgii Carolidis de Karlsberg laureati poëtae. Hammerschmied Prod. glor. Prag. p. 673, Balbin. Miscellan. P. II. C. IV. in coronide. Adolph Redel l. c. M. S. Litomericonse cujus possessor, fuit M. Doct. Grill.

Ulyssipontem; 1603 Aegyptum, Gedanum, Livoniam, Angliam, imprimis Londinum aliaque loca, 1606 plurima loca; 1607 Augustam Vindelicorum; 1609 Londinum (nisi alia fuerit epidemia); 1610 Basileam, Colmariam, Scladistadium imo totam Alsatiam; 1611 Sveviam; 1613 exercitum regis Daniae; 1608 provincias Borussiae et Volhyniam; 1620 Gedanum; 1623 Monspelium; 1624 et 1625 regionem a mari Baltico ad Carpaticos montes usque, Gedanum et Cracoviam, terram Mazoriae, totam Poloniam, Vindobonam, Pettaviam in Styria inferiori, 1626 Belgiam (si vera fuerit pestis); 1627 Constantinopolim, eodem et sequente anno Augustam Vindelicorum, 1630 et 1631 Poloniam, Lugdunum, alia Galliae loca et regiones, universam fere Italiam, ut: Neapolin, Romam, Florentiam, Genuam, Venetias, Parmam, Veronam, Mediolanum, Mutinam nec non Hispalum in Hispania; 1632 universam fere Germaniam; 1633 Silesiam, Vindobonam, Norimbergam, Augustam Vindelicorum, 1634 Saxoniam; 1635 multa loca aliarum regionum, in specie Francofurtum ad Moenum; praegresso et anno 1636 Belgium, imprimis Noviomagum, Marchiam Electoralem Brandeburgicam; 1637 terras Rhenanas, Londinum; 1638 Livoniam, Valhyniam; 1644 Vindobonam; 1645 et 1646 plurima loca, inter alia Styriam; 1648 Valentiam, tandem universam Hispaniam; 1650 et quidem per quinquennium durans Poloniam; 1651 Holsatiam, Daniam, Sueciam et Poloniam; 1653 Borussiam; 1655 Daniam et Russiam, Viennam; 1656 Sardiniam et Neapolim, Genuam, minori saevitia Romam; 1657 Brunsvicum, in Polonia Posnoniam, Varsoviam, P.latinatum Podlochiae, Lithuaniam et Russiam minorem; 1659 et 1660 Lithuaniam, Sueciam imprimis Holmium; 1661 Poloniam a Carpaticis montibus ad provincias minoris Poloniae et Russiae rubrae; 1662 Con-

stantinopolin; 1664 insulam Candiam; 1677 insulam Melitensem; 1679 Hispania et usque ad annum 1683 Hungariam, Austriam et in primis Vindobonam, Graecium et alia inferioris Styriae loca; 1685 Noviomagum in Geldria Belgii foederati provincia, Silesiam, Constantinopolim; 1691 Apuliam, Hungariam, Vindobonam; 1693 Campaniam Galliae provinciam *).

Anno 1610 edidit *Dan. Basil. a Teuschenberg theses de pestilentia, quas defendit sub praesidio M. Jacobi Zabenci a Wissetina*, Scholae *Sti. Henrici* Rectore. Pragae. 4.

Anno 613 Pragae vehementer grassabatur pestis, unde P. P. societatis *Jesu* cogebantur, scholas suas occludere et juvenes dimittere. In hac peste solum Pragae intra octo menses occubuerunt 7800 homines. Pro alendis et conservandis deinde infirmis aedificatum est Lazarethum ad St. *Stephanum* majorem in coemaeterio non procul a schola, et ejus porta hacce inscriptione munita:

Ista noVa est aegrIs aeDes eXstrVCta LeVanDIs,
EXCVbIas hVIC tV ChrIste sVsCIpe.

Eodem anno *P. Marc. Anton. Soldanus* e S. I. Italus Pragae animandis, curandis, omni ope ac ultro citroque visendis aegrotis pestiferis, inopibus, eo usque desudavit, dum et ipse pestilenti telo ictus occumberet, aetatis annum agens 60. Is auctor fuit Nosocomii, quod *Italicum* adpellatur. Omnis generis pauperes ad illum, tanquam ad parentem, et supremum habuere refugium. Quoniam quatuor callebat linquas, Italicam, Bohemicam, Germanicam et Latinam, plures jam ante annos destinatus fuerat a Moderatoribus adjuvandis aegrotis peste la-

*) Paul Adami biblioth. loimica. Lernet l. c. p. 23—32. H. I. Fenger l. c.

borantibus. Tres jam ex intervallo superaverat contagiones intactus, hancce propius quartam evasisset, ni occultiore ipsum vi fefellisset lues incautum, dum eam remittere multum arbitraretur *).

Annus 1623 complura vidit in Bohemia funera charitatis. Olomutii duo, Sacerdos et Laicus, qui se proximorum saluti devoverant, succubuēre. *P. Joan. Kaplerus*, Novoforensis ex Silesia, peste Olmutii saeviente, (quae initio septem hominum millia absumserat), primus obsequium hoc difficile et arduum a Majoribus petiit, impetravitque eo maxime argumento adversus competitores, quod jam olim Parochus hujusmodi ministeriis adsuevisset; accedebat, quod nec unus in Parochiis Urbicis Sacerdos, sese huic discrimini objicere vellet. Decessit aetatis anno 50. Hunc praecesserat ad diem 3. Augusti, qui patri comes ad aegrotos peste correptos ibat, *Adamus Grotzmann*, Bohemus Pragensis, pistor opificio, Laicus, pestilentiae ictus occubuit. Eodem anno et in eodem charitatis ministerio Brunnae vitam posuit *Joannes Höltzelius*, Austriacus Moedlingensis, decem diebus cum peste prima, tandem et altera et tertia tactus, ab ultima superatus est. Item P. *Nicolaum Muzik*, Silesium Czochoviensem, in missione Crumloviensi apud Moravos versantem, seque in pestiferorum obsequio morti offerentem abstulit. Callebat Bohemicam maternam et Germanicam linquam utramque, adeo, ut duorum Sacerdotum labores unus ipse sustinere posset. Mortuus anno aetatis 41 **).

Lues pestilens, quae Moraviam anno superiore gravissime adflixit, ad annum sequentem 1624 producta, impignum societatis *Jesu* operarium *P. Joan. Scutella-*

---

*) Balbin. Miscell. P. II. lib. IV. in Coronide.

**) Balbin l. c.

num, in Moravia Ostraviae ortum, exturbavit e vita. *Hranicium* ad haereticorum nidum, ab Episcopo Olomucensi Cardinale *Franc. a Dietrichstein* loci domino missus est, ubi postquam biennio toto strenue desudasset, plurimosque ad Ecclesiam adjunxisset, illata in eam urbem populari lue, Parochi munia moribundis adhibenda ultro suscepit, neque sui memor periculi, dum nulli parcit operae, aegros in lectulis, ut commode jacerent, elevat, cibos porrigit, miscet pocula, nimirum virus hausit, triduoque confectus est, priusquam e proximo aut Sacerdos aut Medicus accieri, sed sua illi charitas pro omni mortis adparatu fuit *).

Anno 1625 circa festum *St. Procopii* Abbatis, incepit Pragae grassari pestis et duravit fere usque ad festa Natalia. Isto pestis tempore inhibitus est in sepulturis defunctorum pulsus campanarum, ex qua inhibitione magnus exortus est inter homines tumultus **). Eo anno *P. Joan. Faber*, Eisfeldiacus, in Alumnorum convictu, cum lues domum occupavit: e quo periculo cum se eximere voluntate Superiorum potuisset, maluit solatio auxilioque esse Patri Regenti in illa consternatione, quem etiam praevertit moriendo 21. Julii. Mense evoluto, 29. Augusti item Pragae, pestifera aestate, *Cristophorus Neümer*, adjutor temporalis, dum se proximis aegris impendit, lue correptus et aliquantisper luctatus, tandem prosternitur aetatis anno 59. Assiduus erat comes Patribus, qui carceres, qui nosocomia bono animarum lucro invisunt, crucem in reorum suppliciis praeferre solitus. Tertium hujus anni funus in eodem pestiferorum obsequio elatum est *Crumlovii* in Bohemia *P. Joan. Jani* Lusatii

---

*) Balbin. l. c.

**) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 674 ex M. S. Pragens.

Cotpusiensis, qui quum praeter latinam, Vendicam, Germanicam et Bohemicam linquam calleret, facile a Majoribus impetravit, ut ejus ante alios ratio haberetur, eique ardua haec demandaretur provincia. Primis statim noctibus, posteaquam a Sociorum consuetudine in illud obsequium segregatus est, visus est multa nocte in area Collegii inambulare, brachiis modo protensis, modo in crucem expansis, vel pectori admotis, ductis ex imo corde suspiriis, vultu in coelum erecto, Deo sese viventem hostiam devovere, factumque est, quod vir fortis optarat. Mortuum jusserat Rector noctis silentio sepeliri; senatus urbis rem subodoratus occurrit universus et vespilonibus amotis, supposuere humeros, alii funalibus praeluxere, Clero comitante symphonia adhibita, quasi parenti publico parentarent *).

Anno 1630 post magnam annonae caritatem, febres auctae in toto regno invaluere, hominibusque ingentem stragem intulerunt. In domo quoque Brunensi societatis Jesu, etiam tirones linquebant animas ardentissimis febribus, quas petezziales adpellant, correpti, plurimi exstincti. Laicus *Bernardus Rott* Bavarus Monacensis, qui ingenti in omnes charitate aegrotos procurabat, et in eo obsequio pestilentia adflatus, obiit. Jam semel ex morbo surrexerat, sed iterum valens iisdem fratrum obsequiis ut addiceretur, precibus infimis impetravit, ac denuo malo ictus, succubuit **).

Anno 1633 pestis, postquam Galliam, Italiam et Germaniam pervagata esset, mense Septembri ex Silesia Pragam pervenit immaniterque saeviit. Ortum ejus

---

*) Balbin. Misc. Tom. III. lib. IV. p. II. in Coronide.

**) Materialien zur Statistik von Böhmen X. u. XII. Heft Balbin. l. c.

derivant scriptores ex coacervatione exercituum. Eodem anno *consilium contra pestem* typis excussum in lucem prodiit. Pilsnae lues haec ultra 1000 homines absumsit, multos ex monasterio Franciscanorum, septem consules etc. *). Glacii quinque e societate Jesu in obsequio pestiferorum exstincti sunt, *P. Mart. Doering* Prutenus Gutstadiensis et ejus socius *Mart. Vogt* Silesius Gratkoviensis, horum successores *P. Melchior Preiner* Olomucensis, Moravus, et socius *Erhardus Zirk* Alsata, horum successor *P. Andreas Eberle* Budvicensis, Bohemus. In urbe Glogoviae Majoris *P. David. Seiffert* Leovallensis Silesius, cum peste afflictis operam impendit, mortuus est. Nissae, Episcopali urbe frequentissima peste regnante *P. Stephanus Fodor* Pragensis Bohemus, pro infectorum confessionibus excipiendis fuit expositus. Non satis fuit viro optimo, ad aegros vocatus venire, nisi et amore salutis eorundem, ab aliis desertos, sua sponte foris in campis decumbentes inquireret, et officia charitatis non spiritualia tantum, sed etiam corporalia, eos, qui ipsorum curam haberent, conquirendo et cibum potumque subministrando, impenderet. Neque correptus jam peste et decumbens ab his charitatis officiis liber esse voluit, sed in ipsa aegritudine aegros alios ad se confessionis causa venientes, admisit, absolutosque spirituali consolatione refectos, a se dimisit. Intellexerat, in quibusdam domibus infectos tam graviter decumbere, ut superesset nemo, qui domus sibi januam aperire posset, scalis ad fenestram admotis, domos est ingressus, et decumbentes in viam aeternitatis rite direxit. Excipiebat saepius ex una parte fluminis infecti cujuspiam confessionem, dum ipsi nuntiaretur, alios ex alia parte absque expiatione agere animam, expedito ergo priore,

---

*) Materialien zur Statistik von Böhmen.

ut adhuc adesset tempori, et ne interea moribundi, dum per pontem circumiret, expirarent, vestem modeste longam succinctus, fluvium saepe transvadavit, hominesque medicamento salutis adjuvit. Socii omnes ipsius ministri mortui sunt. Itidem Nissae *P. Daniel Menichius* Nissensis Silesus, annorum duodequadraginta, cum se e collegio conferret ad domum, in qua ad obsequium pestilentium erat commoratus, tetro conspectu jacentium in compitis aegrorum, quos pestilentia deformarat, aversante natura sic cohorruit, ut quamvis sese quantacumque ipse virtute comprimeret, statim virus combiberit, quo paucis diebus est exstinctus. Tertius obiit *P. Gedeon Judex* Saxo-Burgensis, diligentissimus in curandis ejusmodi aegris.

Anno 1634 gravi et frequenti pestilentia per hos continuos annos laborabat Germania, nec Bohemiae sua funera defuerunt. Pragae eo anno *P. Joannes Antaly* Hungarus Gajariensis, aetatis suae anno quinquagesimo 25. Novembris in obsequio peste infectorum decessit. Hoc anno Comotovii elatus est *Thomas Heimb* Bavarus Straubingensis, annos natus 26 dum *P. Jacobo Hach* peste morienti sedulo inservit, contracto eodem malo, decimo quarto ab obitu Patris die pie placideque vita excessit.

Annus 1638 quinque victimis charitatis, idque Pragae in Regni luce cadentibus, consignatur. *Melchior Hoffmann* Silesius Coadjutor, 30 aetatis anno, in Professorum domo Pragae exstinctus. *P. Georgio Aquitano* (qui se obsequio pestiferorum addixerat) jam aegrotanti serviebat *Melchior*, sed brevi venenum hausit et intra heras non plures quam 40, malo ictus occubuit 14. Septembris. Hunc secutus est *Mathaeus Schmid*, Marchia Brandeburgica natus; comitabatur *P. Aquitanum* ad ae-

gros, post vero cum et Pater et Melchior jam pestilentia icti jacerent, utrique obsequium diligenter impendit, sed eadem lue correptus, 22. Octobris ad charitatis praemia evolavit. Duos deinde sacerdotes abstulit una dies. *P. Jacob. Drapecius*, patria Novodomensis in Bohemia, in eadem Professorum domo Pragae 2. Novembris vivere desiit, aetatis 40, ob praestantem eloquentiam *Bohemiae Julius* adpellatus. Cum tumulo clam corpus illatum esset, auditores ejus in aede Parochiali Sti. *Wenceslai* contemto mortis metu, irruere, eumque publicis exequiis et moesta comploratione luxerunt. Vir jam ante annos tredecim pestiferis servierat, sed tum periculum evasit. Eodem die eademque in domo abiit e vita *P. Wolfgangus Silvanus*, Bohemus Jinhorssoviensis, 54 annos natus. Obibat, dum munus Ministri domus administraret, quod ei occasio fuit aegrimoniam hauriendi. Tertium funus eadem Professorum domus extulit 2. Decembris *P. Georgium Aquitanum* Silesium Cozlensem; vixit annos 48. Dederat ille jam pridem Glogaviae pestiferis operam, sed in haec tempora servatus. Funus viri bene de se meriti veris lacrymis decorarunt carceres, nosocomia et pauperum tabernae, quas sustentare alimentis, aut aere oblato consueverat.

Anno 1639 saevissima pestilentia Pragam afflixit, pluribus hominum millibus absumtis, scilicet Christianorum 18,000, Judaeorum 10,000. Ortus hujus luis derivatur ab obsidione Suecica. In Seminario *St. Norberti* Praemonstratensium ad 800 milites aegroti, in seminario Archiepiscopali ad 300, et in seminario *St. Bernardi* Cisterciensium prope priscam monetam, quidquam pauciores collocabantur, quin praepositi et instituta rogati fuissent. Per septem mensium spatium ultra 500 funera efferebantur, donec assiduis institutorum precibus exinaniren-

tur *). Eodem anno Pragae ad ultimam Septembris occubuit e S. J. *Henricus Müller* Wratislaviensis Silesius, qui vixit annis 49. Erant ante urbem Pragam stativa militum Caesareorum, quos dira illuvies famesque omnisque generis morbi ac denique nata inde apud aliquos pestilentia ulcera, misere divexabant. Eorum ipse tabernacula, dum opitulandi et ad mortem praeparandi studio perreptat, quosdam invenit ita suis in sordibus natantes, ita sua ipsorum proluvie obsitos, ut jam a cadaveribus nihil distare viderentur; ex hoc igitur tetro aspectu pestilentique afflatu horror primum, deinde febris pestilens, tandem mors secuta. In iisdem stativis militum ad Pragam, non ut hospes sed ut domesticus et Missionarius castrensis versabatur *P. Joan. Seelbach* itidem Wratislaviensis, annos 32. natus; sed cum Pragam ex suburbano pestis intrasset, intravit et Pater, multisque precibus a Majoribus obsequium pestiferis exhibendum impetravit, separatusque a ceteris in nosocomio Italico, die noctuque aderat aegrotis; sed hoc non diu. Duodecimo, quam ingressus erat, die, peste corripitur, quam cum medicamentis opportunis profligasset, neque tamen consistere pedibus posset, sui immemor, omnes ad se aegrotos promiscue admittens, et ex lectulo confitentes audiens, instruens, lethali rursus anhelitu afflatus, ad celerem suae charitatis mercedem vocatus est 10. Octobris. *Novam-Domum* eodem anno non perfunctorie pestis adgressa *P. Philibertum Prey*, gente Bavarum, domo *Herbachensem* Collegio rapuit; oborta pestilentia, dum se fidentius familiariusque seu charitatis seu corporis viribus fretus, aegris permiscet, ictus est lethaliter, ac pri-

---

*) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 674. — Materialien zur Statistik von Böhmen l. c.

mum dissimulare malum conatus est; cum aperuit, jam serum erat mederi atque ita 6. Octobris pie decessit.

Anno 1640 grave forte tempus et pestilens annus, *Crumlovii* contagia vulgabat, perque obscura et ignota capita late vagata, non modicam lues edebat stragem. Hic *P. Franciscus Oellerus* Bohem. domo Budvicensis, aetatis 67 anno, sese infirmorum addicit obsequio. Tum ergo juvenili studio et infracto robore per se moliri omnia, adesse singulis, miseros solari, aures dare moribundis. Sed mox lue adflatus intra 22. diem exstinquitur. Ea mors accidit ad 16. Octobris.

Anno 1645 *P. Melchior Kaukal*, Bohemus Policensis, vitae annos habens 40, quum in obsequio animarum ruri degentium sese effunderet, lueque pestifera infectos a peste animarum liberaret, hausto ab iis veneno intra octo dies consumtus et die 22. Octobris mortuus est. Is ubi decumbebat, non habuit nisi modicum foeni, et vestes, quibus pro ratione illius temporis utebatur: nec qui necessaria praeberet, servus, nec quae praeberentur, erant; non medicina, non cibus, non habitatio, nisi quam Suecus miles male foedam et ventis perviam post se reliquit. Eodem anno Reginohradecii ad 16. Septembris concidit, qui se ad serviendum pestiferis obtulerat *P. Fabianus Daudlebsky* Budvicensis Bohemus; alter in eodem mox obsequio secutus *P. Joannes Widra* Hulczinensis Silesius, aetatis anno 64. Ille humilitate scholas literarias Abcdariorum consectando, hic pauperum atque miserorum tuguria quaerendo. Eodem anno Brunense collegium inhumavit duos peste in obsequio vita functos. *P. Tobias Jan*, Novodomensis Bohemus, 38 anno suae aetatis, 23. Octobris, Concionator, Catechista scholarum, et Seminarii praefectus. Morbi lethalis initio, postquam obtenta licentia laboranti personae cuipiam peste, confitenti aures praebuisset,

domum reversus, infectum se nuntians, ad eum locum, qui infirmis deputatus erat, quam primum deferri, ubi nullius obsequia admittere voluit, ne mali vis, a se derivata, in aliorum valetudinem exerceret tyrannidem. Eodem anno ad diem 6. Novembris Brunae Laicus adjutor, *Rupertus Lauchner*, domo Salisburgensis, in eodem obsequio concidit, annos 29 natus. In janitoris officio pauperum ad januam rationem maximam habebat, iisque hoc anno difficili turmatim occurrentibus, quaecumque in culina aut penu velut derelicta inveniret, consciis superioribus colligere, tum condire, coquere, tum suis manibus inter pauperes dividere consuevit Grassabatur per urbem gravissima pestilentia, neque jam profanis contenta funeribus sacros etiam homines invasit, domumque Jesuitarum Brunensem ingressa, paucis diebus aliquot sociorum capita corripuit. Ibi tum *Rupertus* precibus impetravit, ut illodum servitiis addiceretur; addictus fuit, praestitoque servitio alio missus ut lustraretur, rursus ad Collegium lustrationis exacto tempore inter sanos receptus est. Brevi post novi ex Sociis peste corripiuntur; *Rupertus* iterato demandari sibi servitium postulat, diu noctuque in omnes aegrorum nutus intentus, obsequitur, omnibus, quibus ministrabat, vita functis, ipse omnium ultimus contracto ab iis veneno dejicitur.

Anno 1648 Brunae *Stephanus Mentzelius*, gente Silesius Laicus ad 28. Augusti cum pharmacopaei munus in Domo gereret, obsequio se cujusdam e Nostris peste correpti, ultro dedit, eique ad mortem usque constantissime et sedulo ministravit, eandem brevi contagionem in se transsilientem sentiens, migravit ad Dominum. Ad 22. Octobris P. *Samuel Ricter*, Moravus, postquam nostros in Domo Brunensi peste morientes sacris procurasset, venia impetrata, transtulit in Urbem solicitudinem charitatis, omnesque pestiferos promiscue invasit

et ad aeternitatem comparavit. Contactus et ipse 26. Augusti. Eodem anno Collegium Egrense primus obsequio hujus in pestiferos charitatis consecravit *P. Joan. Conradus Dornspèrger*, natione Suevus. Habebat is valetudinem pridem oblaesam, ac Medici spem vitae longam non dabant. Sed *P. Joannes* praevenire maluit, quam praeveniri, et vitam suam, quam brevem erat alioquin habiturus, huic charitatis obsequio devovens, in immensum charitate extendit et compendifecit. Pragae eodem anno in domo Professorum sublatus est aetatis 49. *P. Augustinus Kerber*, Lusatius. Unius hujus patris opera inter cives peragebantur omnia; nemo aegrotabat in Minore Praga, quin accerseretur *Augustinus*; nemo carceribus includebatur, nemo emittebatur; nemo in Nosocomium admittebatur sine illo. *Augustinus Kerber*, qui jam quartum sese pestiferorum obsequio devoverat, quintum hoc anno exponens sese periculo succubuit *).

Anno 1649 magna erat pestis et fames Pragae, devastata a militibus Suecicis tota Bohemia. Haec, primum die 30. Maji animadvertebatur, et celerrime a Judaeis propagabatur. Die 23. Septembris vulgatum est edictum, auctoritate Regiae Praefecturae tunc temporis *Budovicii* securitatis gratia se continentis. In eodem perversum vitae genus, immundities et imprudentia tanquam pestis causae agnoscuntur. Commendatur quadraginta dierum mora suspectae valetudini experiundae definita, mundities; interdicitur alere et habere canes, feles, sues, scholarum publicarum frequentatio, omnis conventus in areis saltationibus aptis et in cauponis; ordinatur mortuorum inspectio, nosocomiorum constitutio, ignis in plateis publicis sustentatio, jubetur, ut peculiares instituan-

---

*) Balbin Miscel. T. III. P. II. Coronid. cap. VI.

tur medici, chirurgi, aegrotorum curatores et sacerdotes; ut pauperibus medicamenta gratuito porrigantur; loculi oppicentur; mortui nullo comitante sepeliantur, et trium in altitudinem cubitorum infodiantur. Optatur etiam, ut mortuorum corpora post civitatem ad sepulturam darentur, demandatumque, ut eadem de nocte sine pulsu, sine comitiva Parochi, cantorum et populi frequentia sepelirentur; quod tamen non absque populi tumultu perfici potuit, quum hac ratione sepeliendus esset faber murarius *). Eodem anno Pragae e Societate *Jesu* quatuor peste sunt exstincti *P. Martin. Bendictus* Brumoviae in Moravia editus in lucem, 53 vitae annos impleverat, anno 1646 votum conceperat pestiferis serviendi, anno 1648 die 20. Novembris inservire coepit. Cum vero anno 1649 Junio malum recruduisset, rursus ardore pristino charitatis periculo se accinxit, et uno prope mense totus obsequiis pestiferorum immersus perstitit innoxius, dum denique cuidam pestifero in mortis solatium extremam Unctionem ritu Ecclesiae multis precibus flagitanti, conferret, in eo ministerio lue ipse correptus, septimo morbi die (25. Julii) decessit. — Augusti dies vicesima *P. Christian. Blumschein* exstinxit, Pragensem, *Balbini* condiscipulum, nondum 30. aetatis. Continuis capitis doloribus cruciabatur, qua de causa a Theologia scholastica amoveri petiit, et rudimenta latinitatis pueris abecedariis tradere coepit. Anni scholastici fine lues pestilens Pragam invadit, offert se Pater servitiis infectorum, non impetrat; rursus machinas precum admovet, rejicitur; tertio insultu, cum omnes obtestationes per *Jesum*, per ejus Matrem, aliasque similes iterasset, neque abire cum re-

---

*) Hammerschmied Prodr. glor. Prag. p. 675. Materialien zur Statistik von Böhmen l. c.

pulsa ex Rectoris cubiculo vellet et differret Rector tandem, quod petebat, obtinuit. Exclamavit continuo: Martyr ero! Martyr ero! Duas prope hebdomades die et nocte pestiferos tota urba mira industria quaerentem, et sacris procurantem, cum socio *Melchiore* pestis corripuit et paucos intra dies confecit. *Melchior Reich*, Silesius inferioris Glogaviae, Laicus adjutor, diutius in hoc obsequio perstitit, et sex prope hebdomades complevit, 22. Augusti sublatus. Jam olim Brunae Jesuitis infectis suam serviendo operam impendit, ob eamque causam huic obsequio, quod efflictum petebat, aptior credebatur. *P. Jacobus Lipar* Vitgenaviensis, Lusatius, aetatis 32, his duobus peste sublatis processit certus mori. Nulla in Majore Praga, nulla in Minore domus de malo suspecta, quam non adierit, ne quis sacramento poenitentiae non expiatus decederet; ea cura et cursandi labore ita premebatur Pater, ut neque die, vix etiam nocte conquiesceret; addebat difficultatem, quod subclaudicaret et alterum ex casu ab aliquot annis breviorem pedem haberet. Illum euntem, quoque se ferret, cives laetissimis vocibus prosequebantur, imo et Suevi, qui minorem urbem occupatam a se praesidio tenebant, honorabant advenientem, cum dicerent: „Suos Papas uxoriis amoribus „impeditos nil de aegrotis cogitare,“ Contigit non semel, ut *P. Jacobus* pestilentia ictos et domo ejectos deprehenderet, supponebat statim humeros et ad destinata loca deferebat, attonita spectaculo civitate; lectulos quoque aegrorum stravisse et male jacentes, ut commodius jacerent, composuisse conspectus est; tandem hausto ab aegris veneno 19. Septembris heroicam animam exhalavit. Patres reliqui quatuor in eodem obsequio divisēre urbem sibi, et omnes servati, praeter quos diximus quatuor (etsi non semel tentari tamen et illos malo contigerit), demum ventilati, anni sequentis 1650 initio ad nos

redierunt. Praga in alias quoque Bohemiae urbes peregrinata est pestis, nostris ubicumque domicilium fixit Societas, nulli periculi ratione habitâ sese obsequio pestiferorum addicentibus, sed ultra periculum res non processit, uno tantum ex omnibus Litomericii *P. Mathia Kalaus* in obsequio exstincto. Fuit is Cuttembergae in Bohemia natus, qui vitam omnem Grammaticae tradendae devoverat, et jam quinquennio docuerat, cum pestis, quae *Litomericii* grassabatur, ad mortis ludum evocavit, in quo tot discipulos videlicet, quot aegrotos et Urbem ipsam haberet pro Schola. Et revera P. *Mathias* non modo animas, sed etiam corpora medicinis curabat, donec correptus ad 24. Octobris concidit annis 34. aetatis. Ejus funus nec quidquam contranitentibus Jesuitis, in templo civitatis primario injecta in tumulum calce viva, Senatus illius urbis honorifice tumulavit *).

Anno 1650 pestis *Reginohradecium* migravit, ibique omnes eadem absumti sunt **).

Anno 1655 pestis Olomucium invasit tanta saevitia, ut majorem civium partem, Jesuitas quoque in Collegio duodecim exstinxerit. Ex his tres, sociis peste correptis, et quartus Civitati lue illa prostratae, obsequium praestiterunt. Primus 7. Septembris ad charitatis praemia avolavit. *Melchior Robelius*, Grosseicensis Lusatius, Laicus, pharmacopolio praefectus, unica calamitoso illo tempore Collegii opes, et aegrorum solatium, ex quibus duos, jam peste ad extrema deductos, diligentia et medicinae arte servavit in vita. Vix explicari satis potest hujus Laici in aegrotos a plurimis annis (nam vicenos annos in societate expleverat) immensa quodammodo

---

*) Balbin Miscel. Tom. III. P. II. in Coronide.
**) Materialien zur Statistik von Böhmen l. c.

charitas, ut a sociis communiter *aureus frater* diceretur. Anno 1645, cum lues contagiosa Collegium Brunense gravissime vexaret, *Melchior Kuttenberga*, ubi tum degebat, se obtulit ad serviendum infirmis. Impetrato illo obsequio Brunam protinus advolavit *Melchior*, ac ingenti charitate aegris totum sese impendit; sed Divinae bonitati placuit eum id temporis incolumem, ad annos decem, Olomucensibus omni humano auxilio destitutis reservare; quaternis Jesuitis pestilentia laborantibus Olomucii diu noctuque constanter adstitit, et suis ipse manibus, quidquid erat agendum, ministravit. Ab ultimo, quem instar pueruli venenato calore aestuantem tractabat, afflatus, emergente lethali carbunculo, septimo morbi die consumtus est. Inter hos ipsum Collegii Olomucensis Rectorem pestis exstinxit. Is erat P. *Eustachius Remigius Leodiensis*, qui cum quotidie Nostros lue pestilenti correptos inviseret, solaretur, et allatis, quaecumque placere poterant, recrearet, a *Melchiore* potissimum sic, ut virus persentisceret, malum hausit. Cum nulla medicinae vi excutere virus posset, quinto die post ad mortem sacramentis comparatus exspiravit. *Andreas Albrecht* Braunseiffensis, Moravus, adjutor Laicus, quamprimum lues contagiosa sese in Collegium insinuavit, ardentissimis precibus apud Rectorem, paene dixerim, extorsit, ut sociis laborantibus serviret; nihil amplius in mancipio quocumque desiderasses: indicia contagionis explorabat, arteriae pulsus tentabat, medicamenta miscebat et infundebat aegrotis; dum suculae et tubera lethalia nascerentur, adplicabat emplastra et mutabat; solabatur, animabat, mortuos quin etiam inferebat sepulchris, dum denique corriperetur, quod ubi persensit, ad confessorium accessit et vitae suae prioris labes omnes aperuit. Decessit aetatis anno 44. die 18. Octobris. Cum declinante Augusto sensim per Olomu-

cium serperet contagio, et jussi essent sacerdotes nostri scripto declarare, vellentne abire Olomucio, an manere in Collegio? scripto testati sunt eorum aliquot, se perdurare paratos et ad obedientiae nutum etiam infectis adfuturos; inter hos *P. Casparus Hillebrandt* Silesius Comencensis, vir apostolicus, qui per annos 29 in societate vixit et fere semper egit concionatorem, absque limitatione ad suscipiendum tam laudatum charitatis ministerium se obtulit. Ardentibus ejus votis annuit Superior, providit, ut in urbe domus una apte ad ejus habitationem accommodaretur, ad quam omnibus necessariis instructam migravit e Collegio die 27. Augusti; socius illi datus erat ex Alumnatu *Ferdinandeo* societatis Candidatus, quem Deus hucusque incolumem servavit. Habitarunt hi duo in domo quadam templo *St. Blasii* vicina, cujus inferiore parte plebejo homini relicta, superiorem tenuerunt, adpensa ad fenestra campanula, per quam diu noctuque possent ad infirmos evocari. Infectorum curam susceptam Pater ita disposuit, ut primo quidem chirurgum a Senatu pretio conductum, ad serviendum pestiferis moneret, ne unquam, quoties eum ad infirmum vocari contingeret, idem sibi quoque indicare negligeret, neve bajuli et vespillones ullum, a quocumque vocarentur, nisi se praemonito adirent. Constituit etiam per famosiores urbis plateas pios et fideles vigiles, ut diligenter attenderent, an quispiam, aut ubi aegrotaret? de quo nimirum certior factus ab iis, mox advolaret; unde factum, ut levissimo undecumque de cujuspiam infirmitate accepto indicio, statim ad illum se conferret. Quin imo ipse speculatorem agebat hac in re sancta curiosissimum, qui totis paene diebus per urbem circumiens et infirmos visitans, appensa de collo Crucifixi imagiene, ut facile dignosceretur, neque promiscue in illum homines incurrerent, passim de valetudinariis adcurata inquirebat. Quos

vero male adfectos compererat, absque mora adibat solicite, et si non dabatur per portam accessus, per fenestras identidem intro scandebat, admonebat confessionis, nec prius recedebat, quam confessione excepta et sacra Synaxi porrecta, ad secure moriendum eos disposuisset. Incidit quandoque in quosdam rudiores et magis obstinatos, qui sua confiteri aut nollent aut mallent differe, quos ille nunc blandis, nunc durioribus verbis tam diu urgebat, donec aquiescerent. Quamcumque domum infectam ingrediebatur, socio ante fores relicto, infirmum accedens eum eminus alloquens, confessionem ejus excipiebat, moxque socio ad fenestram vel ad portam dicente. Confiteor, sacram hostiam porrigebat, vultu nonnihil ab infirmo averso, ne halitum exciperet. Quamvis ut plurimum non diu apud infirmos haereret, si tamen eorum necessitas postulabat, etiam ad horam quandoque ipsis adsistebat. Domi nunquam otiosus, modo ligna sursum comportabat, modo labore manuali tenebatur, modo accendebat focum et cibos calefaciebat etc. Toto illo trium mensium et ultra tempore, quo publice infectis servivit, tam circumspecte se gessit, tam laboriose ministerium implevit, ut nemo juste de illo queri potuerit. A die 27. Augusti usque ad 11. Decembris accuratissime annotaverat, quidquid egisset toto illo tempore per singulos dies. Supra quadringentas pestiferorum confessiones excepit, et morientibus ducentis et amplius opem tulit extremam. Die 6. Decembris apud aliquem infectum, frigidum Catholicum Pater infectus est. Non sese lecto adfixit nisi moriturus. Die 12. Decembr. domo amplius exire non potuit. Socium ad se saepius accedentem semper repulit, ne forte inficeretur. Die 13. Decembris mortuus est *).

*) Balbin Miscel. Tom. III. P. II. Coronid. Cap. VI.

Anno 1679 pestis in Gallia, Italia, Styria, Austria late grassabatur, totaque Vienna ardebat. Eodem anno ad finem vergente et sequente, in Bohemiam ceterasque Regni provincias sese infudit contagio. Pestis initia referuntur sequentia: Initio Octobris anni mox notati ante portam Wisschradensem rhedarius publicus Posoniensis exanimis corruit, in cujus corpore die 4. ejusd. mensis inspecto, pestis notae animadvertebantur. Circa idem tempus rhedarius, cujus peculiari opera legatus Hispanicus usus est, ex tumore colli repentina morte obiit: cujus cadaver 6., dein cognitionis adcurationis gratia medicis duobus Vindobonensibus in consilium adhibitis, *Doct. Hoffmeister et Petro Würtz*, die 7. Octobris inspectum est. Ab initio lues in urbis regione vulgo *Frantissèk* dicta, in urbe Judaeis frequente, in aediculis *Augezdii* gliscens pauperes tantum tentabat; dein latius serpens peddentimque universam civitatem pervagans, florem, divitesque incolarum corripiebat. Tempore aestivo vis morbi evagata est in viciniam. In triurbe Pragensi vix angulus, in pagis et villis vix tugurium liberum a peste repertum est. Infecti omnis generis in plateis, ignium fatuorum instar titubantes decurrebant. Etiam hic nonnunquam usu venit, quod et aliorsum pestis tempore accidisse fertur; uxores a maritis, heros a famulis et vice versa ob pestis metum, fuisse desertos. Frequentissime domestici inficiebantur missi ad forum coëmtum. Tota in urbe auribus non percipiebatur fidium cantus; quocumque oculi incidebant; eosdem luctus et terroris spectacula terrebant; ubique funera et sandapilae conspiciebantur. Juxta cisternas tres semper pluresve vespilones praesto erant, diu noctuque strepitus carpentorum, quibus funera efferebantur, audiebatur, sub quorum mole strata viarum fragorem edebant; parvuli in canistris exportabantur. Ubique quoque

stramentum, quod curribus funebribus deciderat, putrescens et aërem corrumpens offendebatur. Perniciosissimi hominibus menses erant Majus, Junius et Julius, solumque frigus hybernum finem contagioni fecit.

Adolphus Wratislaw, Comes *de Sternberg*, a consiliis interioribus, Regni Bohemiae Praefectus et judicii Praeses, caput erat Commissionis Caesareae in causa pestis. Edicto, die 3. Octobris 1679 publicato, inter alia haec ordinata sunt:

1. Ut nosocomia extra civitatem traducantur.
2. Ut magistratus in Regni provinciis pro subditis suis similia instituant;
3. Ut suppellex peste contaminatorum omnis comburatur;
4. Ne omnes aegroti sine discrimine pro peste affectis habeantur, sed prius in domibus exploratoriis inquirantur;
5. Ne peste exstincti ab hominibus humeris gestati, sed potius junctis jumentis vecti efferantur;

Ante civitatis portas patibula erecta sunt, quia parva fides habebatur Pragensibus aeque ac peregrinis. Conciones, coetus, solemnes sacrorum pompae, disputationes publicae ommittebantur; seminarii Archiepiscopalis alumni ad dominium suum *Sowinkam* profugiebant, et scholae die 24. Maji claudebantur; milites ad insulam, *majorem Venetiam* dictam, transferebantur, quorsum demum etiam pestis seminium delatum est. Canes et feles repetitis vicibus foras expulsi sunt. Januae domorum infectorum crucibus calce macerata tinctis notabantur; sepulcra calce viva et terra contegebantur. Vestimenta, lodices et calcitrae plumeae etc. nocte concremabantur, ex quorum foetore multi incolae Podskalenses et Wissehradicenses vitam perdiderunt. Ex multis monasteriis sacerdotes in obsequium peste infectorum vocabantur, ita ut uno eorum exstincto, semper alter succederet.

Pulsare in omnibus templis inceperunt a Junio 1680 usque ad festum purificationis beatae Virginis, seu usque ad 2. Februarii 1681, et forte non sine latente mysterio, cum purificationis festum ex revelatione anno 1544 institutum, pestem exstinxerit. Quum die 19. Octobris 1679 nosocomium Italicum a Medic. Candid. *Paulo Rocho Redlich* et Chirurgo *Petro Würz* lustratum totumque infectum repertum esset, aegroti omnes, ut civitas a peste defenderetur, *Koschirzium* translati sunt. Hic pauperibus vestitus, victus et medicamenta suppeditabantur; ad quorum sustentationem Caesaris *Leopoldi I.* munificentia 15000 florenos contribuit. Torcularium superius convertebatur in domum exploratoriam Lazarethi; altera ejusmodi domus apud Stum. *Stephanum* exstitit, militum in monte St. *Laurentii*. Non raro se invicem in Lazarethum concomitati sunt, imo ibidem ab iisdem deligentissime curati; multi vero Lazarethum praepropera curiositate adeuntes, contagione labefacti. A peste convalescentes ex Lazaretho deducti, loti, vestitu novo instructi et per quadraginta dies propter valetudinem suspectam ex hominum commercio exclusi sunt. Judei proprio usi sunt Lazaretho, sito Neopragae.

Mense Octobri 1679 expositi — Medic. Cand. *Paul Roch. Redlich* una cum tota sua familia, *Chirurgus Petr. Würz* cum socio in opera mercenario (quem serius alter Lazarethi Chirurgus *Gottfr. Barner* secutus est, demum tertius Chirurgus *Nicol. Stubenmayer*) Pharmacopoeae Provisor cum socio et adjutore et Sacerdos e Societate *Jesu* P. *Hoffmann* (quem successernt *Christoph. Heister*, *Adam Richlig* et *Mich. Pohl*) Quaestor aerarii infectorum cum curatoribus — sese Lazarethum receperunt. Pharmacopoeus *Drix*, postea Primator Veteropragensis, Lazarethum medicamentis subornavit. Sacerdos, Medicus et Chirurgus cum sociis in dies primo

mane cubicula infectorum, hausto prius contra aërem corruptum decocto cerevisiae, ingressi sunt. Medicus et Chirurgus ardentem facem dextra praeferebant, posteriorque vestimento cerato viridi indutus, ad obliganda vulnera se conferebat. Sic, cubiculis prius ventilatis et odoribus impletis, masticantes Myrrham, radicem Zedoariae et Imperatoriae, animo praesenti aegrotos adibant. Revertentes, ad contagium a vestibus susceptum abolendum, nubem fumi, ex bacciis seu ligno Juniperi combustis sursum se rotantis pervadebant, dein domi vestimentorum fumigationem et ventilationem diligentem curabant. Ut singuli aegrotantes expedite reperiri possent, cubicula singula literis peculiaribus erant signata; agroti, qui animam noxis expiaverant et sacra coena usi erant, crucem albam pectore gestabant. Med. expositus *P. R. Redlich*, graviter querens de simul injuncto scribae officio, exinde sibi contractos capitis et dorsi dolores pilae lusu fugare studuit. Ex sudantibus non raro manum palmis, multos ante dies se infectum praedixit; deinceps in regione inquinali dextra maculam nigram animadvertit. Post semestrale obsequium prima nocte paschali repente in summum vitae discrimen incidit. Intumuit ipsi caput, aures et oculi, quorum dextro doloribus non tolerandis adfecto, paene captus fuisset, lanquore magis magisque increbescente. Demum 9. Maji 1680 macer et pallidus Lazaretho valedixit. Durante morbo, eundem podagrici dolores, quibus erat obnoxius, minime afflixerunt, imo vero et quidem multo acerbius durante Quarantenae octodecim dierum, imprimis aestuante sole et nubibus tonitru minitantibus. Tempore valetudini spectandae praestito, reversus est in urbem, vix unum reperit vicinum, qui calamitatem subterfugisset. Uxor ejus binos bubones et anthraces suscepit, attamen quoque e morbo evasit.

Ex prolibus septem, pueros duos et totidem puellas ancillamque *Sabinam Haicobam* febre intenta perdidit.

Doct. Gottfr. Moebius, Jenensis, olim Romanae ecclesiae non addictus, medicus Chemiae gnarus die 2. Maji locum medici loimici in Lazaretho obtinuit; ast vino deditus, non plus mense et paucis diebus superstes fuit. Die 27. Januarii 1680 Patronus et primus Lazarethi Chirurgus, qui per tres menses et dies quatuor, alter Chirurgus *Nicolaus Stubenberger* die 13. Martii 1680 mortuus est, qui per mensem et dies quinque Lazaretho operas dederunt. Nunc secutus est Chirurgus castrensis *Gottfr. Barner*, qui ad finem usque in Lazaretho perduravit. Tonsor *Hubertus van Bree*, Belgus, exstinctus est die 26. Octobris 1679 tertio post adventum in Lazaretho die. Provisor Lazarethi, *Gerardus Kettler*, qui omnium longissime superstes, medicisque neque consilio neque opera deerat, oborta tamen in Lazaretho multiplici confusione lucro magno facto, in fugam se contulit. Curatos infectorum primus *Joan. Haeusler* uxorem peste perdidit, et serius ob continuas crapulas munere suo orbatus est. Successor ejus *Joan. Koenig* mature in perniciem actus, summo, quod in eo erat, officio, et mortuus est 11 Aprilis. Tertius quoque peste infectus, attamen e morbo evasit. Curatrices aegrotorum quod attinet, *P. R. Redlich* de se praedicat: easdem mane et vesperi adeo feliciter a se fuisse praemonitas, ut intra semestre nulla earum e vita discesserit; nonnullas tertia fuisse contagione adfectas, attamen vi consuetudinis semper feliciter morbo defunctas fuisse *).

P. Antonius Hoffmann, qui primus Lazarethum subierat, eamque domum ab Oct. anni 1679 usque ad Apri-

---

*) Vide Paul Roch. Redlich Spiegel des Prägerischen Elends. Prag. 1680. 4.

lem 1680 diligentissime procuraverat, ut in hoc uno Patre et promum condum et Praefectum et Oeconomum et Sacerdotem, Domus illa aegrorum plenissima amiserit. Regnabant in Patris *Antonii* misero corpore, jam pridem varii morbi, quibus inter se et adversus pugnantibus factum videtur, ne tam cito et nono primum obsequii sui mense sterneretur *). Is 8. Aprilis Lazaretho discessit, decimo octavo die in urbe contagione labefactus et in mola, ubi propter suspectam valetudinem moraturus erat, peste oppressus est. **).

Primus, qui in hac arena Lazaretana cecidit, (licet primus non descenderit) fuit *P. Christophorus Heisler*, 3. Martii anni 1680 exstinctus. Ibidem ad 10. Aprilis mortem apud aegrotos invenit *P. Michael Pohl.* Brevi post 21. Aprilis *P. Adam Richtig* in Lazarethi obsequio vitam posuit; vix paene aggesto ejus tumulo in eadem Lazaretana domo peste contracta, elatus est 29. Aprilis *Adamus Scultetus*, Laicus frater, quod pharmaca perite miscere nosset, ad eam operam praestandam a Lazarethanis Praefectis a Collegii Clementini Rectore impetratus. *P. Simeon Spanberger* ad 9. Junii succedania hostia in Lazaretho procubuit, Theologiae Doctor et Professor. Mortem illius excepit tertio die post mors *P. Joannis Weleba* 9. Junii, qui labores suos itidem in Lazarethana domo finivit ***). Interea in urbe Magistratus, mortis discrimine versans, omni studio ad salutem civitatis incubuit. Inter medicos *Dr. Proxa* et *Dr. Kirchmaier* animo firmo imprimis excelluerunt. *Dr. Hoffmeister* nonnullique alii medici pauperes et divites aut consilio aut re juvarunt. Etiam *Rab*, *Heimann*, et Lauren-

*) Idem l. c.

**) P. Roch. Redlich l. c.

***) Balbin. Miscel. Tom. III. P. II. Coronid. Cap. II.

tius *Arbilliar* multa praestiterunt, posteriorque sibi gloriam et pecuniam comparavit. Multi tamen increscente malo clam se subduxerunt. Primator Vetero-Pragensis *Dr Macht* carbunculis interiit. *Dr. Bossius* tergo carbunculis quinque et bubonibus duobus retentus est. *Dr. Daniel Globiez de Buczina*, morbo correptus, et secta vena occubuit morti. Medicus Vetero-Pragae expositus, ex adspectu mulieris mortuae, in morbum incidit et mortuus est. Inter tonsores Micro-Pragae *Lorenz* et *Weimer* peste, et Vetero-Pragae, vere siccissimo, expositus *Wenceslaus Rab* diarrhoea periit. Pharmacopoeus ad coronom auream *Julius Hermann*, qui permultos infectos adierat, a peste quidem immunis servatus est, attamen mox ducta uxore juvene extremum diem morte confecit *).

Pragae Lazarethum nova voce et novo apud Bohemos exemplo vocabant domum, in quam peste contactos evehebant ex urbe tanto numero, ut persaepe 700, 800, 900 censerentur, neque locus esset, quo ponerentur, cum velut manipuli aut fasces segetum in agris, misere jacerent. Hanc domum ab initio usque ad finem, i. e. ab Octobri anni superioris usque ad anni 1680 Novembrem sine intermissione cum Medicis et Chirurgis delectis, patres nostri procuravere sacris, atque uno aliquo ex Nostris exstincto, alius semper atque alius Sacerdos noster advolavit succedaneus in obsequium charitatis. Idem praestitum in antiqua urbe Pragensi, in domo Collegii Clementini, e regione ecclesiae *St. Aegidii*, non procul a Bethlehem, unde in totam urbem evocabantur. Tertia Statio, et quidem Coelestium Vigiliarum locus, in Vineis ad Pragam constitutus erat, et servabatur a Nostris, ubi omnibus humanis perinde ac divinis solatiis

---

*) P. R. Redlich l. c.

destituti mortales, pauperes plerique et egentissimi, nisi auxilia tam a penu quam e Pharmacopoeo Collegii saepe subministrata fuissent, jam perierant. Quartam Stationem fixerant Nostri apud milites, qui extra urbem in majore insula, quam Moldava fluvius efficit, tuguriolis exstructis degebant. Quinta Statio in minore urbe Pragensi in scholarum (jam clausarum) domo. (Balb. Miscel. Tom. III. P. II. in coron. Cap. VII).

Anno 1679 pestis in vicinis provinciis late grassabatur, totaque Vienna ardebat. Anno 1680 in Bohemiam ceterasque Regni provincias sese infudit contagio atque ut plurimorum sensus fuit, in Bohemia sola plura quam octoginta, Pragae amplius 25. millia mortalium absumsit. Patres e societate *Jesu* non solum ab Octobri 1679 usque ad anni 1680 Novembrem sine intermissione Lazarethum procuravere sacris, etc. Jam pestis in urbe ex Bethlehmitica domo ceteros exstinctos secutus est die 14. Aprilis *P. Joan. Jordan.* Noviter in eadem domo *P. Mathaeum Bohdalovsky* laborantem crudelem in modum aggressa ad 22. Maji confecit et deturbavit de vita. Jam in nova civitate Pragensi, etsi publice Patres S. J. expositi ad pestiferorum obsequium non erant (propterea, quod alius ordo religiosissimus eam sibi demandari provinciam a Senatu petiisset) sociorum tamen charitas unius Collegii angustiis contineri non poterat in communi civitatis periculo, quin foras ad aegrotos prorumperent, praesertim cum diebus et noctibus evocarentur, adeo, ut totum novae Civitatis Collegium ad obsequia pestiferorum apertum staret, ac perpetuo pro morientibus vigilaret. Ex hoc numero *P. Martinus Chitrecius*, jam pridem circumcursans et domatim non modo ostiatim quaerens aegrotantes, tandem et ipse veneno afflatus 11. Junii vivere desiit. Scholas quoque in minore urbe Pragensi funestavit Libitina 22. Junii sublato peste

P. Christiano Ottone, qui operam aegrotis navaverat. Novum in Bethleemitica domo funus P. Joan. Spanberger, multis jam annis nocturnus ac diurnus per tuguria pauperum circumcursator, qui ab initio hujus calamitatis jam octo mensibus indefesso studio sacris procurabat morientes; concidit 26. Junii pestilentia ictus. In quinta Statione *P. Joan. Rungen* ad 11. Julii exstinctum, minor Praga luxit, cui comes et socius mortis fuit *Fridericus Beil*, Laicus Coadjutor, contracta apud morientes peste eodem die vita defunctus. Quartam quoque Stationem in insula Moldavae pestis invasit, multosque ibi egregios belli, ac quoque *P. Joannem Victorinum*, illius legionis veteranum, in sacris rebus Curatorem peremit. 13. Augusti dies funesto obitu *P. Rudolphi Kostial* consignatur; is non exiguo tempore ad *Tuchomericium* et *Okorž* atque in ipso Pragae aspectu peste morientibus serviens, tandem urbicis accedens laboribus, Pragae idem mortis praemium invenit. Vineas morte charitatis consecravit ad 15. Augusti diem *P. Adamus Gayer* domo Pragensis. 25. Augusti obiit *P. Math. Kerius* in nova civitate, qui peste prostratis sese devoverat. *Libiessicii* ad pagum *Koblitz* in tuguriolo quodam totam illam viciniam percurrens ad sacra aegrotis ministranda, 27. Julii decessit *P. Martin. Langer* *). Ex aliis ordinibus in pestis praedam concesserunt: *P. Itter*, Franciscanus ex monasterio Mariae de Nive; *P. P. Justinus* et *Amantus*, monachi cucullati Hradschinenses; *P. Ladislaus*, ex monasterio Augustinorum discalceatorum Neo-Pragae ad St. *Wenceslaum*, et *P. Manserinus*, monachus ordini *Sti. Dominici* adscriptus Micro-Pragae ad *St. Magdalenam.*

Numerus in Triurbe Pragensi peste hac exstincto-

---

*) Balbin. Miscel. T. III. P. II. Coron. cap. VII.

rum vix adcurate determinari potest; lues enim ad hiemem 1681 tenuit; calculationes autem apud scriptores occurrentes, ad mensem Augusti anni 1680 tantum proferuntur. Interea pro certo sumitur, a primo Septembris 1679 usque ad ultimum Augusti 1680 Neo-Pragae 4408, Vetero-Pragae 1539, Micro-Pragae 885 et secundum *Clementis Winkleri* computationem 7040 judaeos partim urbe, judaeis frequente, partim in Lazaretho; ex ordine Sacerdotum fere 150, milites (uxoribus et gnatis non simul aestimatis) in Lazaretho 302, gravidas ultra 1,000, judaeas gravidas 600; adeoque in summa ultra 26,000 peste oppressos fuisse. Ceterum Pragae idem accidisse dicitur, quod aliis in locis et diversissimis temporibus observatum legimus, nimirum: inter eos, qui durante et finita peste supererant, et quidem inter divites et pauperes aeque ac inter juveniles et seniles, coëundi ardorem summum viguisse, ideoque studium amorum conciliandorum, amores et nuptias permultas fuisse, ita ut adpareret, mortales de industria enisos esse compensare, quod peste amiserant *).
Lue sedata e prelo prodierunt:

1. Spiegel deß Prägerischen Elends, darin kürtzlich vorgebildet, wie der gerechte Gott seinen lang-gefasten Zorn über die gewaltige Stadt Prag im Jahr 1680 außgeschüttet, uns wegen der großen Sünden mit der grausamen Ruthen der Pestilentz Vätterlich gezüchtiget, davon erbärmlich über sechs und zwantzig tausend Menschen todtes verblichen; der vielleicht dankbahren Nach-Welt zu einer wohlmeinenden Erinnerung, ihr Leben besser anzustellen; theils durch die Heilige Schrift, theils durch wenige Sinn- oder Schluß-Reime vorgestellt: von Paulo Rocho

*) P. R. Redlich l. c. mox citando.

Redlich, ersten Koschirsischen Lazareth-Medico. Gedruckt zu Prag, in der Karolo-Ferdinandeischen Buchdruckerey, in Collegio Soc. Jesu bey Sanct Clemens. 4. Ex quo carmine medico, parum concinno atque inelegante ea, quae ad memoriam rerum gestarum spectant, supra commemoravimus.

2. *Amussis Antiloimica ad mentem quorumdam Clarissimorum Archiatrorum tum Veterum tum Recentiorum in arte peritorum concinnata, et practice adhibita; Anno quo LVgVbrI sVo raDIo VIsVs est astra Infestare CoMeta. Nunc demum grassantIbVs MaLIgnIs febrIbVs et peteChIIs In trIVrbe faVente Deo a VarIIs eXperta. a Simone Aloysio Judecio de Monte Galea, Philosophiae et Medicinae Doctore, in Alma Caesarea Regiaque Carolo-Ferdinandea Universitate Pragensi Practico, nec non Inclyti Regni Bohemiae Physico jurato et Seniore, reassumta et in solatium multorum typis mandata. Norimbergae, Expensis Joannis Ziegeri.* 12. Autor tempore pestis anno 1679 ob defectum medicorum a Magnatibus quibusdam extra urbem evocatus est, ut hic praxim exerceret. Comes de *Sternberg* eum in suam Residentiam Zázmutium accersiri jussit, atque omnibus necessariis pro se suisque domesticis liberaliter provisum, benigne excepit, et ultra quatuor menses omni humanitatis genere adfectum detinuit, insuper cupiens, aliis quoque prodesse, in alios districtus ablegavit, reducem vero absque omni suspicione et metu contagii, mox in intima sua cubilia, de statu patientium sollicitus, admisit. In libello ipso (numerosis operarum erroribus depravato) capita de peste consueta methodo, ante nostram memoriam usitata, aphoristice pertractantur.

3. *Dobrzensky (Jos. Joh. Wenceslai) de Negroponte in perantiqua Universitate Pragensi Prof.*

Publici extraordinar. Preservativum universale naturale, bono publico inserviens, cum experimento medico D. Joannis Baptistae Alpruni, de Contagione Viennensi, in fine adjecto. Pragae, apud Universitatis Typographum. 1680. 4. — Exstat etiam in *Miscell. Med. Curr. Germ. Ann. IX. et X. Obs.* 170. Item in *Theoph. Boneti Medicina septemtrionali collatitia p.* 320—325. Sententia auctoris definitiva pro Praeservativo universali naturali haec est: *Si quis conversatur cum aegris, qualicumque demum morbo affectis, nunquam, quam diu intra sphaeram vicinitatis talium moratur, salivam deglutiat, at semper eandem exspuat.* — Hoc praeservativum esse et fore optimum praeservativum pestis, et praecipue iis, qui cum pestiferis habent agendum, quales sunt Medici, Chirurgi, omnesque ii, qui taliter infectis adpropinquant, iisdemque ob amorem Dei et charitatem proximi inserviunt; potissimum autem Confessariis conducet, qui eorundem excipiendis confessionibus sunt addicti.

Saeculo XVIII.

Saeculum hoc a bello continuo et caedibus primordium cepit: Simul et *pestis* ex latebris Europae extremis prorupit, et antequam Bohemiam nostram invasisset, varia hujus terrae partis regna et provincias pervagata est, horumque incolis cladem intulit. Lues quidem jam ante in solo suo natali, in terris Muhamedanis inque confinibus regnis, attamen cursim et ad exiguum tempus, animadversa est. Nunc vis morbi increvit in terra orientali Asiae minoris, in litore Barbariae, Tuneti et Tripoli in Africa *), maxime vero Constantinopoli, Smyrnae,

*) Vide: Der allerneueste Zustand von Tripolis, Tunis und Algier p. 107 und 115.

Cairi et in aliis civitatibus finitimis. Malo in Dalmatiam penetrante, Venetiis Collegium, sanitati publicae tuendae praefectum, compulsum est, ut nova praecepta adversus periculum praesens publicarentur.

Anno 1703 primum in Europa provinciae Turcicae, inprimis Constantinopolis, atrociter sunt tentatae. Mox se malum effudit in Bulgariam, Moldaviam et Bessarabiam, ad Poloniae fines usque, maxime saeviens inter Tartaros. Versus finem aestatis et autumno jam in Ukraine inter Cosacos erumpere, et in variis locis grassari coepit, indeque mediante contagio ulterius disseminatum est.

Anno 1704 lue infecta est finitima Russia nigra, maxime Gologrodum, paulo post Leopolis simulque plures urbes et pagi contermini imo et Volhynia, diffusaque est usque ad fines Poloniae Minoris, versus Hungariam et Transylvaniam.

Anno 1705 pestis ad Lithuaniam et Podlachiam voluta est *).

Anno 1706 malum in memoratis provinciis hieme quidem remisit; vere tamen, conjunctione cum locis infectis non diremta et commercio cum iisdem continuato denuo erupit, et ad atumnum usque asperius saeviit. In Poloniae Minoris Palatinatus finitimos, Sandomiricensem et Lublinensem, Vistulamque transgrediens, in urbes Tarnovium, Pinzowium, Schydlovium; Kylce et in plures alias se insinuavit.

Anno 1707 ex Palatinatu Sandomirensi in Cracoviensem, urbemque primariam Kracoviam, pestis vel a Judaeis

*) Vide: Entwurf der 15jährigen Campagnen Caroli XII. Königs von Schweden. p. I.

vel ab infecto exercitu Polonico delata est *). Hic primo e coetu Judaeorum in uno eodemque domicilio, personae 15 exstinctae sunt, earumque sepultura accelerata est. In judicium vocati judaei jurejurando sanciverunt, easdem dysenteria fuisse exstinctas. Post duas tresve hebdomades cauponae linea margoritarum, duoque cervicalia vendebantur; quo factum est, ut intra duos tresve dies in eadem domo quinque homines cum pestilentiae vestigiis mortem obirent.

Anno 1708 vis pestis non solum in Polonia latius evagata, sed morbus etiam septemtrionem versus in Ducatum Borussicum, occidentem versus, in Silesiae plures vicos et urbes, ad meridiem in regnum Hungariae transgressus est. In Polonia potissimum ex infectione Cracoviana, lues duplex iter intendit; in finibus Silesiae sursum Marchionatum versus, unum, terram Massoviam et Varsoviam versus, in territorium Borussicum usque alterum, Primaria autem urbs infecta erat sedes imperii Varsovia ipsa, ubi mense Julio in nova urbe prima pestis indicia in publicum prodierunt, simulque in alia oppidula propinqua transiit. Varsoviae contagium culcitarum plumearum et vestimentorum ope introductum fuisse dicitur. In Ducatu Borussiae pestis mense Julio vel Augusto Thuronii, in vulgo dicto colle vinario ante portam Jacobi erupit; per cetera suburbia serpsit, mense Septembri etiam urbem ipsam invasit, primo viam Arabum tentavit, deinde per totam urbem diffusa est, mense Octobri ad ἀκμήν provecta, demum pedendentim remisit, et initio anni 1709 ingruente levi frigore, fere ex integro conquievit, deletis per hoc temporis spatium 40,000 hominibus **).

*) Vide: Acta eruditorum ann. 1710 Mense Majo p. 216.

**) Vide: D. Christian. Balth. Wiel's wohlgemeinte Nach-

Anno 1709 pestis non solum in memoratis provinciis saeviit, sed etiam in Curlandiam; ulterius in Silesiam Pomeraniam, Marchionatum Brandenburg devenit; in Varsovia de novo incepit, in Palatinatu Kaleschensi et Posnensi saeviit; in Polonia majore domus ulla non infecta exstitit; in primis *Fraustadium* multas calamitates experta est *).

Anno 1710 continuavit saevire pestis in Pommerania et Silesia maxime vero Wratislaviae **).

Anno 1711 mitigata pestis vehementia in Borrussia, et quiscente jam jam plurimis in locis malo fere ex integro, in *Sueciam* iterum transferebatur, majora ibidem de die in diem praeprimis *Holmiae* incrementa capiens. Multa etiam passae sunt civitates *Janeoping*, *Nicoping Nordiöping*, *Upsalia* e. p. a. Ex Suecia in *Daniam* propagabatur malum ***).

Anno 1712 *Suevorum* ultra 40,000 Hungariam emigrarunt, occupantes loca, quae ob pestem prius jam ibidem grassantem incolis denudata erant. Quum autem

---

richten von der Thornischen Pestilenz. — Joh. Heinrich Zernecke's verpestetes Thoren, als Anhang der Thornischen Chronika. — D. Joh. Kanold's Sendschreiben von der Pest anno 1711 und 1713.

*) Vide: Sam. Fried. Lauterbach's kleine Fraustädt. Pest-Chronica. p. 1. §. 6. p. 20 seq.

**) Historia von der erschrecklichen Menschen-Pestilenz, wie sie vom Anfang dieses Seculi bis auf das Jahr 1715 von Orient aus durch die Pohlnische, Ungarische, Deutsche, Schwedische und Dänische Reiche, von Jahren zu Jahren, von Ort zu Ort aufs heftigste gewüthet, aus gedruckten wie auch schriftlichen und gerichtlichen Nachrichten gesammelt, und was wegen der Praeservation und Cur sonderbares angemerkt worden von D. Johann Christian Kundmann p. 1143.

***) Idem p. 1149—1151.

tantus hominum numerus non indigeretur, plures iterum in patriam missi sunt. Horum multi minus cauti contagium ibidem susceptum Posonium primum, inde Viennam transtulerunt *).

Anno 1713 tandem contagium pestiferum *Bohemiam* quoque invasit, quae unica fere provincia, saeviente circum circa malo perniciosissimo, incolumis hucusque mansit. Symptomata contagionis prima, sub finem mensis Junii in conspectum venerunt Pragae, unde postea lues et alias petiit civitates, moxque integram provinciam occupans. Succinctam hujus dirissimae pestis descriptionem epistola continet *Dr. Sebastiani Fuchs*, medici practici, Pragensis, cui tunc temporis epidemiae decursum observandi frequens erat occasio, ex qua epistola, ea, quae scitu sunt digna paucis hic adnotabo.

Multi spargunt sine fundamento, luem hanc contagiosam diu, imo per annos latuisse, quod falsum: certum autem est, sartorem juvenculum profugum ex lazareto Viennensi in nova civitate Pragena, unicam domum infecesse in fine Junii. Mirabiliter malum per viciniam intra brevissimum tempus ad dissitissimas civitatis partes propagatum fuit, non aliter, quam dum ante aliquot annos, exorto incendio, flante ferocius vento ex media civitate, ad civitatis extremum, incendii fomes transportatus fuit, cum magna multarum aedium ruina. Unde stupendum! vix mali contagiosi ortus absevabatur, jam summus ejus videbatur vigor et progressus per totam novam civitatem et judaicam, dein antiquam, et tandem etiam per parvam civitatis partem sic dictam. Declinare coepit post festum Sti. Wenceslai sed lente, magis in Novembri, maxime in Decembri, et prout nunc scribitur, inde quod

*) Idem p. 1153.

in Januario vix tres vel quatuor de die hoc morbo moriantur. Toto hoc tempore observatum fuit:

1. Malum hoc promiscue sine distinctione aetatis et temperamenti, et apparenter saltim, fortium ac debilium quosdam invasisse, ditiores tamen minus quam plebejos (forsan quod illi magis contagiosa fugiebant loca et occasionem), magis sexum foemineum quam masculinum, et illum plerumque circa tempus menstruationis, graviditatis et puerperii, et vero obstupescendum, ad initium et in mali vigore parturientes felicessime plerumque inficiebantur, et rarissime, etsi athleticae essent naturae, quarum plures novi, salvabantur; declinante malo plures statim salvatae.

2. In mali initio et vigore infecti vix quartam, raro ad quintam diem vel sextam durabant, cum petechiis nigris rarissime evadebant, et hae crudelius crociebant usque ad initium quasi Octobris, dein non tot observabantur. Tragoediam non minorem fecerunt Carbunculi, mitius agebant bubones, praesertim qui ad suppurationem pervenerunt, ubi plurimi curabantur.

3. Multi non sitiebant nec febricitabant, nec delirabant, imo quidam ambulabant ad ultimum quasi vitae halitum. Pulsus et urinae saepe nec quidquam praeternaturle denotabant. Alvus apud plurimos nullam fecit difficultatem, nec habebantur tam copiosae dyssenteriae, saepe autem vomitus, tanquam funestum signum praecedebat et commitabatur.

4. Sicco exsistente aëre plures corripiebantur quam pluvioso, vere enim, particulae humidae disunionem contagiosi vaporis fecere, prout obvervatur in hieme ex halitu hominis exspirato, aëre existente, sicco, quali potentia unitus feratur sat remote, minus hoc accidere videtur aëre frigido et humido, pluvioso.

5. Ratione novi-vel plenilunii nil notabiliter distinc-

tum observari potuit, an plus vel minus intense malum grassatum sit.

6. Matura infectorum a sanis separatio plurimum boni praestitet, ubi hoc non observatum est, plurimae aedes vacuae redditae sunt.

Causam mali tam lamentabilis ut assignem, in quo puncto tot Medicinae Proceres desudarunt, et Horoës; fateor, meam imbecillitatem non permittere ut hanc penetrem. Interea cum multis aliis praeclaris viris opinor, eam consistere in quodam fermento venenoso, coelitus demisso; istud autem an a Deo immediate de novo creetur prout vult cel. Dimmerbroeck, aut per certam stellarum et siderum conjunctionem et influxum generetur, et quidem vel communicando athmosphaerae nos ambienti, vel infundendo cuiquam homini in peculiari, ut per illum sese per contagium multiplicet, nec tamen adtingerem ut satis faciam. Quare supersedeo, hoc tantum memorando, quod mihi videatnr quascunque aeris mutationes, exhalationes, pravi victus rationes etc. solas vix sufficere ad pestis generationem, sed solummodo sese habere tanquam causas dispositivas, ad facilius hoc miasma malignum pestiferum suscipiendum. In moderna lue evidenter arguitur, malum hoc per contagium solum propagatum magis fuisse ex attracto halitu ex infecto homine, aut ejus cadavere, aut utensilibus, quibus miasma contagiosum adhaerebat, quam aëre ipso, quia sparsim videbatur, eos, qui similia vitabant, praeservatos fuisse, et ideo matura sanorum ab infirmis separatio tot salvabat. Docebat id conversatio prohibita, civitatem hanc et illam inter habitantes, etsi quidem omnes tandem infecti fuerint, saltem tardius; nam ita provide res non potest institui, quin non quaedam hominum malevolorum subterfugia contingant. Testatur id ipsum considerando, qualiter ex gremio regni, ex metropoli scilicet ejus, ex medio pa-

triae malum per totum regnum dissiminatum fuerit. Alia certe fuisset dissiminatio, si aëris vitio id contigisset. Bis dira lues hic *Rokizanae* per externos allata, radicem figere voluit, sed accuratissima separatione statim facta, et rigorosa domuum occlusione Deo sint laudes! ulterius serpere non potuit. Non tamen inficias eo, particulas fermenti pestiferi exhalantes ex infectis corporibus, in poros aëreos recipi, ex eoque plures similem aërem inspirando infici, similemque aërem vento alibi transportari eundemque effectum producere posse; requiritur tamen et in his distantiae proportio, quae proportio inter activum et passivum etiam causa est, quod multi sive medicamentis praeservativis cum infecto conversantes, nullatenus inficiantur.

De his praeservativis cum verbum fecerim, plerumque interne apud nos utebantur ad normam Viennensium, pulvere ex creta Coloniensi et pipere, quandoque commixtis scorpionibus leviter calcinatis, quo et ego pariter utebar; deinde pilulis Jesu Christi ex diversis electuariis, acetis, aquis bezoardicis etc, quibus utebantur. Plurimi autem mox memorato pulvere et pilulis contentabantur. An haec praeservaverint? an disproportio inter activum et passivum? an solius Dei miserantis clementia misericordiam poenitentibus nunquam denegans? — meum non est judicare; credo ultimum maximum praeservativum, quod tamen non vult habere exclusa media naturalia, quia et illa ex eodem fonte misericordiae scaturiunt.

In cura, cujus occasio valde praeceps erat, venesectiones ex fonte chirurgico valde damnosae sunt deprehensae, ab imperitis quandoque tentatae. Propterea tamen non abstinui a venesectionibus inasuetis et plethoricis, in non infectis, qui summis angebantur terroribus, ne evitando Charybdim, incidant in Scyllam, existente

etiam vigore pestis, attamen cum summa cautela ne aëri se exponant, non tam ob aëris vitium, quam ut non casu incidant in conversatione in personam infectam vel locum infectum. In monasteriis mihi concreditis, in quibus non dabatur exitus libere, ut ante exercebam sine ulla subsequuta sequela cujusdam contagii. Sic plures pauperculas timidas ab aliis malis praeservabam, quae ex terroribus accidere solent. Idem sentiebam de scarificatione, sed in cura nullatenus locum inveniente. Ex fonte pharmaceutico purgantia qualiacunque nocuerunt. Vomitoria quandoque si statim in primo aggressu in corporibus inordinatae vitae exhibita fuissent, effectum secundum dabant, mixta tamen cum alexipharmacis. Raro tamen casus dabatur, plerumque enim initium negligebatur. Sudorifera e contra erant certiora, ubi dolendum de occasione tam praecipiti, in tanta copia infirmorum, ubi sine discretione complexionum et circumstantiarum, volantilibus et fixis promiscue utebantur; et hanc aestimo tantae stragis principalem causam ubique locorum; quia, si unquam medici praesentia, certe hic apud quemlibet requireretur, ut quae convenirent, discerneret, sed hoc non est practicabile quia poena Dei est. In petechiis tam cito finem facientibus, abservarunt plurimi mixturam simplicem optime conduxisse, cui pro re nata affecti systematis nervosi per somnolentiam, liq. C. C. succ. admiscebant. Ubi econtra spiritus magis ad ferociam tendebat, pro sudore proderat pulvis ex Spec. de Hyacinth. cum pulvere Bezoard. Senn. et specif. Ceph. commixtus, in mixturis cordialibus intermedio tempore exhibendo aliquot guttulas mixturae simplicis, penes bibendo ex herbis appropriatis alexipharmacis infusum instar Thee, largius quidem, prout potus non interdicebatur, sed imperabatur, ex decocto convenienti, rad. Scil. acetos. Scorzon. Rasur. C. C. Cort. citri etc. prout erat patientis con-

ditio. Nam apud pauperes etiam loco pulveris ex specieb. de Hyacinth. satisfaciebat pulvis antifebr. Prag. a defuncto in Domino Doctore Franchimondt correcto, qui et in priori peste multum praestabat. In hac moderna autem observarunt expositi quidam Domini Collegae mei, non bene profuisse cum nitro, unde sine illo ordinare consueverunt; credo prout erant corpora cacochymica, ubi subsequutae diarrhoeae cum funesto patientis exitu. Conduxerant haec ipsa ennarrata praeter pulverem etiam alexipharmacum Viennens. Elect. Diasc. Frac. etc. in carbunculis et bubonibus, et quidem ter vel quater intra 24 horas, prout erat urgentia rei. Solebam ego suadere pro vehiculo medicamentorum acetum bezoard. cum aliis aquis Card. Bep. Hord. Scorzon. etc. commixt. ut subacidiusculum evaderet vehiculum. In vicinia hic plebejis cum optima euphoria dedi Theriac. Eyrens. cum terra sigillata in simili vehiculo, loco aceti bezord. etiam summendo simplex. Carbunculi quo mitius tractabantur, eo citius curabantur. Hinc notum est, pauperculos plurimos simplici cataplasmate leniente, et imo gaschovia se juvisse, ubi alii tot diversis adhibitis emplastris et unguentis pretiosis malum irritantibus, spe frustrati sunt. Similia observata sunt in bubonibus, in quibus emplast. Bened. Musit. quandoque simplex, quandoque cum Magnet. Arnsencali, aut cum parum Theriacae commixtum applicare solebam cum cataplasmate emolliente, cum levamine, quia citius dolores sopiti, et facilius maturabantur. Haec suasi quibusdam, dum adhuc Pragae existerem, et etiam hic in vicinia, Deus sit benedictus! cum effectu bono.

Ita *Fuchs* *) Praepositi ecclesiastici crescente malo

---

*) Vide illius relationem de peste Pragensi quae continetur in Ant. Loigk *Λοιμογραφια* seu historia pestis, qua ab anno 1708 ad 1713 inclusive, Transylvaniam, Hungariam, Austriam, Pragam etc. depopulabatur. Styriae 1716. 8vo. p. 61.

constituebant, ut res divinae in foris publicis peragerentur, ne hominum multitudo in templis conventu et mutuo contactu magis inficeretur, malumque ulterius propagaretur. Ast consilium optatis non respondit, die enim 28. Septembris Pragae homines 285, in mortis praedam concesserunt Ut flagellum hoc avertatur, magistratus urbis Micro-Pragensis voto se numini obligat ad exstruendam eo in loco, ubi tunc temporis in foro publico altare fuit erectum, statuam S. Trinitati dicatam. Mox operi manus admotae, eodem anno 1. Novembris festo omnium Sanctorum a *Maxim. Norber. Krakowsky*, comite a *Kolowrat*, supremo regni Bohemiae Camerario, Gubernatore vicario, et legationis in causa sanitatis publicae tuendae Directore, fundamentum solenniter locatum, anno 1715 die 16. Junii, festo S. Trinitatis, statua triplici fonte saliente munita, inaugurata et consecrata est *).

Ex eodem voto, eodemque anno, magistratus civitatis *Litomericensis*, in suburbio, ecclesiam novam St. *Wenceslao* dicatam aedificare curavit, cum inscriptione: *DIspeLLIt ContagIa VotuM;* quam inscriptionem, me puerum, quum ibidem primis litterarum fundamentis operam navassem, saepius legisse, bene adhuc memini.

Ingens hac peste hominum copia de vita sublata est. Secundum calculum a sanitatis commissione constitutum a 22. Augusti 1713 ad finem usque mensis Martii 1714, sequens defunctorum assignatur numerus:

*) Adolph Redel Buch I. Kap. XVI. S. 41.

Vetero - Pragae perierunt peste	2772	morb.	aliis	415.
Neo - Pragae	4083	»	»	939.
Micro - Pragae	225	»	»	127.
In Lazaretho Vetero- et Neopragens.	958	»	»	——
Judaeorum	3492	»	»	——
Militum	115	»	»	11.
In Lazaretho Micro - Pragens. .	403	»	»	——
Summa .	12048	»	»	1492.

Summa itaque omnium, tum ex peste tum ex aliis morbis intercurentibus, defunctorum esset 13540 *).

Annus 1715 de peste adhuc suspectus est; nam licet nulibi in Bohemia amplius pestifera infectionis signa reperirentur, hoc tamen anno in Saxonia instructio in lucem prodiit, cautelas continens pro illis, qui vel ad confines Bohemiae habitant, vel cum bonis mercatoriis inde provenientibus rem habent. Dresdae die 10. Aug. 1715.fol.

Sic quoque annis 1719, 1720, 1721 ubi in Polonia, Hungaria, Transilvania et Gallia pestis grassabatur, aliqui licet sparvim hinc inde in Bohemia contagiosi observabantur morbi.

Anno 1736 *Raphania* epidemice in Bohemia grassabatur, quae per nimium usum secali corunti, pani admisti, inducta fuisse fertur **).

Anno 1739, summa in Bohemia adhibebatur cura, ne pestis, que jam ab anno 1737 per Hungariam, Transylvaniam et Poloniam saeviit, et illuc propagaretur; nihilominus contagium tamen per foeminam quandam in-

*) Verzeichniß der Pesten u. allgemeinen merkwürdigen Volkskrankheiten in Böhmen. (In den Materialien zur alten und neuen Statistik von Böhmen. X. Heft. S. 204—229. Leipzig und Prag 1790; XII. Heft. Nachtrag. S. 299—302. — 1794.)

**) Vide Joh Ant. Skrinci, Geschichte der Kriebelkrankheit, welche Haller in seine Sammlung aufgenommen hat. — Lexikon der k. k. Medicinalgesetze, bearbeitet von J. D. John. Prag 1790. Artikel Mutterkorn.

fectam, quae in aliquibus circuli *Pilsnensis* pagis pernoctabat, huc deportatum est, licet malum vix exortum, statim fuisset subpressum *).

Ab hoc anno ad finem usque hujus saeculi nullius amplius *morbi pestilentialis* per Bohemiam saevientis mentio fit, quamvis anno 1771 et 1772 Typhus contagiosus non minorem ac ipsa pestis inter homines edidit stragem. Nam ob annos aliquot admodum humidos sese excipientes, inedia et fame ingenti premebatur Bohemia. Homines, imprimis pauperes et illi, qui montes Sudeticos incolunt, ob defectum annonae, ad incongrua nutrimenta cogebantur. Inde morbi exorti sunt epidemici, characteris plerumque putridi, quibus praeprimis robusti et juveniles succubuerunt. A. 1. Januarii usque ad 10., Augusti 1772 ultra 167046 ex hac epidemia defunctorum numerantur **). Ulterius certe malum tunc adhuc serpsesset, nisi munificentia gloriosissimi *Imperatoris Josephi II.* cujus aeternae laudes, et grates, et memoria, nostro nunquam labentur pectore, inexorabili alias morti, fines impossuisset ***).

---

*) Vide Gubernialverordnung vom 5. Februar 1739.

**) Vide M. Kramer's Rede über die Güte Gottes in allgemeinen Trübsalen.

***) De hac epidemia vid. Dr. Langswert Historiam morbi epidemici sive febris putridae, ab anno 1771 — 72; et Tichý in sua dissertatione inaugurali de arenulis in lotio, adparentibus, ut infallibili salutaris morborum eventus signo prognostico 1774 quae in Klinkosch Dissert. Med. Select. Pragens. Vol. I. Nr. XVIII. continetur. — Lexikon der k. k. Medicinalgesetze, bearbeitet von J. D. John. Prag 1790; unter den Schlagwörtern: Mutterkorn, unreifes Getraide, Eicheln, heißes Brod, Habergrütze, Starkenbacher Obrigkeit, Quaksalber, Begräbnißort rc.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Pestis, ubi epidemiae adinstar late inter homines saevit, sua quoad vehementiam habet stadia, quibus absolutis sponte cessat.

II.

Inimica quaedam aëris athmospherici constitutio organismum humanum ad pestis contagium suscipiendum quidem disponit, non autem sola valet producere id contagium.

III.

Omnes organismi partes sive fluidae sint, sive solidae, vivunt.

IV.

Inflammationis natura nondum patet.

V.

Phthisis sic dicta pituitosa, Phthiseos nomen non meretur.

VI.

Phthiseos pituitosae in ulcerosam mutatio, quandoque absque inflammatione contingit.

VII.

Quemadmodum summopere necesse est, ut medicus climatis, ubi praxim exercet, perfectam habeat cognitionem;

VIII.

ita nec historia epidemiarum ejusdem regionis sane carere potest.

IX.

Ex principiis constitutivis alicujus medicamenti, non licet ad licet ad illius concludere virtutem medicam.

X.

Medicus in omni morbo et corporis et animi aegrotantis habeat curam.

XI.

Venena narcotica vim suam in organismum deleteriam, exuperanti debent materiae phlogisticae.

XII.

Plantae affines analogis gaudent viribus.

XIII.

Arsenico medicina sine damno carere potest.

XIV.

In sanandis febribus nervosis emetica primum sibi vindicant locum.

XV.

Non ultimam vesaniarum causam in perversa quaeras educatione.

Corrigenda.

Pag. 2 lin. 8 nullae lege nulli
— 9 — 30 Marquaro Trehero — Marquardo Frehero
— 20 et 21 lineis penultimis idem error.
— 25 lin. 14 na oiwocném lege na owocném
— 44 lin. 25 Machonica lege Machaonica.

VINDOBONAE,
Typis Antonii Pichler.
1825.